VOTA ET PRAECEPTA

REGULAE FRATRUM MINORUM

EX PROBATIS AUCTORIBUS AD PRAXIM COMMUNEM

BREVITER EXPOSITA

OPERA

Fr. ISIDORI TRIENEKENS, O. F. M.

PROV. SS. MARTYRUM GORCOMIENSIUM IN HOLLANDIA.

EDITIO ALTERA

penitus recognita et

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

prope Florentiam

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1909.

#875

Imprimi potest.

Romae, die 12 Septembris 1909.

Fr. Dionysius Schuler
Min. Glis.

Nihil obstat.

Florentiae, die 27 Julii 1909.

Can. Fridericus Lapini, *Censor.*

Imprimatur.

Florentiae, die 28 Julii 1909.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Gen.*

PROLEGOMENA.

1. **Status religiosus,** quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus (1), est status perfectionis acquirendae; ergo qui hunc statum amplectuntur eo ipso tenentur tendere ad perfectionem religiosam.

2. **Perfectio** ad quam in statu religioso tendi debet, consistit in charitate Dei in quantum creatura mortalis potest eum diligere; unde tendere ad perfectionem religiosam sibi vult: habere intentionem habitualem removendi impedimenta quae obstare solent ne homo ad perfectam charitatem perveniat. Jam divini amoris impedimenta sunt: *concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae,* seu voluptatis illecebrae, rerum temporalium sollicitudo et propriae libertatis exercitium; quae obstacula removentur per praxim *consiliorum* evangelicorum perfectae castitatis, voluntariae paupertatis et humilis

(1) Cfr. Suarez, *De Religione,* Tract. 7, Lib. 3, Cap. 2.

obedientiae (1). Attamen sola consiliorum praxi nondum habetur *status* religiosus, status enim natura sua exigit aliquam stabilitatem et firmitatem; sed haec, spectata humana inconstantia, non habetur nisi moraliter ligetur homo, et ligamen istud in observantia eorum quae sunt solius consilii haberi nequit nisi ex promissione Deo facta sive ex voto; quare ad perfectionem status religiosi requiritur observantia *votorum* obedientiae, paupertatis et castitatis (2). Vota autem in diversis institutis modificantur per praescripta Regulae et Constitutionum, quae pro maxima sua parte non sunt nisi votorum applicatio ad finem unicuique Ordini vel Congregationi proprium; unde obligatio qua Religiosi tenentur tendere ad perfectionem, non est alia nisi obligatio tendendi ad perpetuam observantiam votorum necnon Regulae et Constitutionum proprii instituti (3).

3. Hanc obligationem tendendi ad perfectionem religiosam **graviter laedit,** qui ita *frequenter* vota vel Regulam in re *gravi* transgreditur ut horum obligationi censeatur nolle subjacere, vel sese conjiciat in grave periculum ejectionis; non autem qui ea *raro* graviter violat; neque qui, licet frequenter, transgreditur Regulam in iis quae *non sub peccato* obligant. An vero graviter

(1) Cfr. Mocchegiani, *Jurisprudentia ecclesiast.* Tom. 1, n. 3.

(2) Cfr. Bouix, *De Jure Regularium,* Tom. 1, Part. 1, Sect. 1, Cap. 10.

(3) Cfr. S. Alphonsus, *Theologia Moralis* (Ed. Gaudé), Lib. 4, n. 9.

peccet contra hanc obligationem Religiosus, qui statuit se non curaturum nisi de iis quae sub gravi obligant, alia vero libere transgressurum, probabilius negatur; quamvis Religiosus ita dispositus ex aliis capitibus graviter peccare possit, scilicet: ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum Religioni inferendi quoad regularem disciplinam etc., quae omnia est moraliter impossibile evitari ab eo qui propositum habet transgrediendi vel negligendi omnia statuta sub gravi non obligantia (1).

4. Exinde jam patet quemlibet Religiosum teneri laborare ut **sciat** obligatoria suae Regulae (2), neminemque excusari ob quamcumque ignorantiam obligationum ejus; nisi forte excipias nonnulla circa extensionem et verum intellectum praeceptorum, de quibus ipsi DD. disputant; unde si quis nescit, tenetur inquirere diligenter, secus peccat pro qualitate materiae et negligentiae. Quod bene advertant Fratres qui vel rarissime vel nunquam declarationes Regulae aut libros de Regula tractantes legunt (3).

5. Regula quam Fratres Minores observare tenentur, est illa Seraphici Patris **S. Francisci** Regula quae duodecim capitibus constat, et quam Honorius III per Bullam: *Solet annuere*, diei 29 Novembris 1223 solemniter sancivit; haec enim,

(1) Cfr. Ibidem, n. 11 sq.

(2) Vide *Constitutiones Generales Fratrum Minorum*, n. 59 et 61.

(3) Cfr. Marchant, *Expositio litteralis in Regulam S. Francisci* (Ed. altera), *Quaest. prooemiales*, Qu. 5, pag. 19.

ex Rom. Pontificum decretis, est unica Regula Primi Ordinis S. Patriarchae Francisci in usu et vigore in Ecclesia, ac communiter vocatur Prima Regula S. P. Francisci (1).

6. Ordo Franciscanus qui, extinctis a Leone XIII (2) variis nominibus, Ordo Fratrum Minorum, sine ullo apposito, ex instituto S. Patris appellatur et ab uno regitur capite, quem Ministrum generalem totius Ordinis Fratrum Minorum vocant, praedictam Regulam observare debet in sua puritate. Secluditur ergo quodcumque privilegium relaxativum, abusus, vel etiam inveterata consuetudo ac in essentialibus dispensatio, uti Ordo saepe protestatus est; sicuti in Constitutionibus generalibus anno 1897 approbatis, omnes et singulos abusus, si qui alicubi irrepserint, detestans et proscribens, iterum sincere protestatur (3). In sua vero puritate seu ad litteram, Regula nostra, teste Innocentio XI (4) observatur, quando vivitur juxta Nicolai III, *Exiit qui seminat*, diei 15 Augusti 1279 et Clementis V, *Exivi de paradiso*, diei 6 Maji 1312 declarationes (5); in

(1) Cfr. Kazenberger, *Compendiosa expositio litteralis in S. Regulam S. P. Francisci* (Ed. noviss. 1899), *Quaest. prooemiales*, Qu. 1.

(2) Bulla: *Felicitate quadam*, 4 Octobris 1897 (*Acta Ordinis Fratrum Minorum*, Tom. 16 (1897), pag. 164).

(3) Vide *Constitutiones Generales*, n. 2 sq.

(4) Bulla: *Sollicitudo pastoralis*, 20 Novembris 1679 (*Bullarium Romanum* (Ed. Luxemburgensis), Tom. 11, pag. 272).

(5) Declarationes: *Exiit qui seminat* et: *Exivi de paradiso*, sicut et ipsa *Regula Fratrum Minorum*, in hoc opusculo citantur ex opere cui titulus: *Seraphicae Legislationis Textus*

illis enim laudati Pontifices protestantur se Regulam non aliter explicare velle nisi juxta piam intentionem S. Francisci (1); quapropter illae duae decretales, in quibus Regulae interpretatio *authentica* traditur, in toto Ordine semper habitae sunt velut bases observantiae praecipuae ac fundamenta verae expositionis perpetua (2).

7. **Alia obligatoria** praeter Regulam, Minoribus ex vi suae professionis non incumbunt. Non tenentur sub peccato ad *omnia consilia* Evangelica; Regula et vita eorum quidem est, « SCILICET DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SANCTUM EVANGELIUM OBSERVARE », sed, ut declaraverunt Rom. Pontifices (3), ad ea tantum Evangelica observanda consilia sunt adstricti quae in ipsa Regula sub praecepto ponuntur. Neque tenentur sub peccato ad *Testamentum* S. Francisci circa ultimum vitae suae traditum; quia ad illud S. Pater, sine consensu Fratrum et maxime Ministrorum, obligare nequivit nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par in parem (4). Similiter non tenentur sub peccato ad *declarationes* Summorum Pontificum nisi in iis in quibus praecepta Dei et Regulae adducuntur; quia Pontifices per suas declarationes Regulam tantum exposuerunt, non vero nova praecepta imposuerunt;

Originales jussu Rmi Patris Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum in lucem editi. Ad Claras Aquas 1897.

(1) Cfr. *Exiit,* Prologus, n. 5 et *Exivi,* Prologus, n. 2 sq.

(2) Cfr. *Seraph. Legisl. Textus Originales* etc. pag. 177 et 262.

(3) Cfr. *Exiit,* Art. 1, n. 1 sqq.; *Exivi* Art. 1 sq.

(4) Cfr. *Exiit,* Art. 21.

et licet etiam imposuissent, fuerunt tamen per Sixtum IV (1) revocata et annullata (2).

8. Quod ad ipsam Regulam attinet, Fratres non adstringuntur sub peccato ad omnia observanda quae in illa continentur. Siquidem, ut cuique Regulam legenti patet, plura proponuntur in illa tamquam merae **admonitiones** sive ad bonum faciendum sive ad malum fugiendum, quae certe sub peccato non obligant; ob reverentiam vero Seraphici Patris attendi merentur, easque *decet* suos filios pro virili observare; imo in casu particulari interdum a Superiore per praeceptum *imponi* possunt. Alia proponuntur per modum permissionis et indulti seu tamquam **libertates** Fratribus concessae, quae nullam, ut liquet, obligationem pariunt; sed si earum observantia aliquando Ordini vel alicui Religioso non expediret, per praeceptum *prohiberi* possunt a Praelato (3).

9. Plura tamen S. Franciscus in Regula proponit tamquam vera **praecepta**; unde, ut ex celeberrimis decretalibus Nicolai III (4) et Clementis V (5) eruitur, tenentur Fratres Minores praeter tria vota religiosa substantialia observare sub peccato mortali plura Regulae praecepta, quae ad vi-

---

(1) Bulla: *Circumspecta Apostolicae Sedis*, 1 Decembris 1480 (Waddingus, *Annales Minorum*, Ad annum 1480, n. 39).

(2) Cfr. Kazenberger, Cap. 1, Qu. 1 et *Quaest. prooem.*, Qu. 5, *Infertur* 3.

(3) Cfr. Kazenberger, *Quaest. prooem.* Qu. 5, *Notandum*, et Cap. 10, Qu. 3, *Respondeo* 4.

(4) *Exiit*, Art. 1, n, 3 sq.

(5) *Exivi*, Art. 2 et 3.

ginti quatuor revocantur. Hinc opusculum hoc dividitur in duas partes; in priori agetur de tribus *votis* religiosis in Ordine Fratrum Minorum, ac in posteriori de *praeceptis* eorundem Regulae sub gravi obligantibus.

PARS PRIOR.

DE VOTIS RELIGIOSIS IN ORDINE FRATRUM MINORUM.

Textus Regulae. In nomine Domini incipit vita minorum Fratrum. Regula et vita minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.

CAPUT I.

DE VOTIS GENERATIM SUMPTIS.

10. Votum **definitur**: promissio Deo facta. Est scilicet actus cultus latriae. Requiritur autem ad votum vera, deliberata et directa voluntas se obligandi ad praestandum opus bonum quod melius est quam ejus contradictorie oppositum (1).

(1) Cfr. Cornelisse, *Compendium Theologiae Moralis*, Tom. 1, n. 333 sqq.

11. Vota quae emittuntur in aliquo instituto religioso ab Ecclesia approbato, dicuntur **vota religiosa**. Inter ista eminent vota servandi Evangelica consilia, *obedientiae* nempe, *paupertatis* et *castitatis;* quare cum ad status religiosi substantiam pertineant, vota religiosa *substantialia* vocantur (1).

12. Quaestio moveri potest an in Ordine Fratrum Minorum, praeter tria vota substantialia, detur **votum speciale** servandi Regulam (2). Communissima DD. sententia est ea sola quae ipsa tria vota determinant, non autem caetera Regulae praecepta obligare sub obligatione voti. Praescripsit quidem S. Legislator (3): RECIPIANTUR AD OBEDIENTIAM, PROMITTENTES VITAM ISTAM SEMPER ET REGULAM OBSERVARE », ac in formula professionis dicitur: « *voveo..... servare Regulam* », sed profitens vovet solummodo servare Regulam in genere, non vero quodlibet praeceptum in specie seu immediate; seu non habet aliam intentionem quam se subjiciendi Regulae eo modo quo juxta mentem S. P. Francisci et declarationes Rom. Pontificum servari debet, scilicet: vota sub obligatione voti, praecepta sua obligatione praecepti. Quare Frater Minor qui praecepta, praeter tria vota, graviter transgreditur mortaliter quidem peccat, quin tamen

(1) Cfr. Mocchegiani, Tom. 1, n. 23 sq.

(2) Cfr. Piatus Montensis, *Praelectiones Juris Regularis* (Ed. tertia), Tom. 1, Qu. 325 sqq. — An apud Minoritas detur votum speciale obediendi Rom. Pontifici, vide inferius Part. 2, n. 92 sqq.

(3) Regulae Cap. secundo.

specialis peccati *sacrilegii* contra votum reus constituatur (1).

13. Per emissionem voti homo aliquam obligationem in se suscipit. Ast, quia haec obligatio omnino *libere* suscipitur, coactio enim votum redderet nullum, sequitur generatim votum in tantum, pro eo tempore et eo modo obligare in quantum quis sese obligare voluit. Quoad vota autem *Religionis*, potestas ecclesiastica, cui vota omnia utpote contractus religiosi subjacent, statuit ea semper emitti debere **juxta Regulam** instituti in quo emittuntur; in diversis enim institutis v. g. modus implendi votum praesertim paupertatis, est diversus, sed vovens debet sese obligare ad observanda vota religiosa eo modo, qui in Regula sui Ordinis vel Congregationis praescribitur.

14. Insuper, facultas sub *levi* peccato sese obligandi consistere nequit in votis religiosis. Vere enim grave damnum commune impenderet, si liceret in religiosa vita assumenda sub *levi* reatu tantum sese adstringere atque, quod consequens est, facile obligationes susceptas sine efficaci remedio aspernari (2); quare violatio voti religiosi est **peccatum mortale**, admittit tamen parvitatem materiae.

15. Distinguuntur vota religiosa **simplicia** et **solemnia**. Sicut in pluribus Ordinibus, ita et in

(1) Cfr. Albertus a Bulsano, *Expositio Regulae FF. Minorum* (Ed. noviss. 1889), § 27, n. 3; Kazenberger, *Quaest. prooem.* Qu. 5. *Infertur* 2.

(2) Cfr. Lehmkuhl, *Theologia Moralis* (Ed. 10ª), Tom. 1, n. 445.

Ordine nostro Seraphico ab initio in usu fuerunt tantum vota solemnia, statim post annum novitiatus emittenda. Ut autem in praesentibus adjunctis major quaedam fieret Religiosorum probatio antequam solemni nexu et gravibus ejus consectariis adstringantur, Pius IX, die 19 Martii 1857, pro religiosis virorum (1) familiis omnibus in quibus vota solemnia emittuntur, immutationem juris induxit. Etenim per Encyclicas Litteras S. Congregationis super Statu Regularium, incipientes: *Neminem latet* (2) laudatus Pontifex ordinavit: *a*) peracta probatione, novitii vota simplicia emittant; *b*) professi post triennium, a die quo vota simplicia emiserunt computandum, si digni reperiantur ad professionem votorum solemnium admittantur; poterit vero Superior Generalis vel etiam Provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Ex postea emanatis decisionibus (3), praefatae Encyclicae praescriptiones ad *valorem* votorum solemnium observandae sunt; ita ut nulla et irrita prorsus sit professio solemnis, quovis modo facta ab iis qui non emittant prius vota simplicia et in

(1) Pro Sanctimonialium monasteriis consimiles ordinationes statuit Leo XIII, Decreto S. Congr. Ep. et Reg. 3 Maji 1902 (*Acta Ord.* Tom. 21 (1902), pag. 98).

(2) Bizzarri, *Collectanea in usum Secretariae S. Congregationis Episcoporum et Regularium* (Ed. nova), pag. 853.

(3) Cfr. Const. *Ad universalis*, 7 Februarii 1862 (Bizzarri, pag. 862) et Rescr. S. Congr. super discipl. regul. 8 Januarii 1886 (*Act. Ord.* Tom. 5 (1886), pag. 23).

iis per triennium, mathematice usque ad ultimam horam integrum, non permanserint (1).

16. Privilegia et obligationes eorum qui **simplicia** praedicta vota (2) emiserunt sunt (3): *a)* participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus gaudent solemniter professi, nequeunt tamen eligi Superiores (4); *b)* anni professionis qui requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computantur; *c)* suffragium habent in actibus capitularibus sui conventus quatenus et prout habent solemniter professi, excepto actu receptionis ad votorum *solemnium* professionem (5), ac in Ordine Seraphico (6) pariter excepta votatione pro admissione ad vota *simplicia; d)* ad primam Tonsuram et Ordines minores dumtaxat promoveri possunt; *e)* tenentur ad observantiam Regulae, excepto quod bonorum suorum dominium *radicale* possunt retinere et quod ad *privatam* recitationem divini Officii non tenentur (7).

---

(1) Vide *Constitutiones Generales*, n. 71 et 69.

(2) Agitur enim de solis votis simplicibus quae in Ordinibus stricte dictis solemnibus votis praemittuntur. Juris dispositiones de votis simplicibus in Congregationibus et Institutis religiosis, ut ad rem nostram non pertinentes, silentio praeterimus.

(3) Cfr. S. Congr. super Statu Regul. 12 Junii 1858 et 6 Augusti 1858 (Bizzarri, pag. 855 sqq.). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 67.

(4) Cit. S. Congr. 16 Januarii 1862 (*Acta Ord.* Tom. 10 (1891), pag. 23).

(5) Cit. S. Congr. 7 Februarii 1862 (Bizzarri, pag. 861).

(6) Cit. S. Congr. 1 Septemb. 1875 (*Acta Ord.* Tom. 5 (1886), pag. 182; cfr. etiam Tom. 24 (1905), pag. 283).

(7) Cfr. inferius dicenda n. 34 et Part. 2, n. 130.

17. In quonam praecise **consistat solemnitas** votorum AA. non conveniunt. Sententia hodiedum communissima, quae et ex praxi S. Sedis confirmatur, docet eam esse aliquid ipsis votis extrinsecum et accidentale, proveniens e sola Ecclesiae dispositione, quae aliquibus votis adjungit nonnullos *effectus peculiares* quos aliis non tribuit; quare ad solam Ecclesiam pertinet discernere, tum quaenam vota sint solemnia, tum quaenam sint ipsius solemnitatis effectus. Ex hisce colligitur: a) Ecclesia ita disponente, votum ex solemni fieri posse simplex et viceversa, quin necessaria sit nova intentio voventis; b) Rom. Pontificem aliquem solemnitatis effectum tribuere posse votis simplicibus; item votis solemnibus talem effectum sustollere, manentibus votis qualia antea erant (1).

18. **Differunt** ergo vota solemnia et simplicia ratione effectus, quae in illis plures et majores quam in his producuntur (2). Praecipue autem differunt ratione *firmitatis* et *dissolubilitatis*, scilicet: vota solemnia ex parte Ordinis exstingui nequeunt, poterit quidem incorrigibilis ex Ordine ejici, sed hujus vota minime exstinguuntur (3); per *dispensationem apostolicam* vota solemnia, cum sint ejusdem naturae ac simplicia et solemnitas sit juris mere ecclesiastici, exstingui quidem pos-

(1) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 498 sqq.; Mocchegiani, Tom. 1, n. 31; Cfr. etiam inferius dicenda n. 40 et n. 80 *(Nota)*.

(2) Cfr. inferius dicenda n. 30, n. 40 et n. 80.

(3) Cfr. Mocchegiani, Tom. 1, n. 220 et 224. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 349 sqq.

sunt; sed talis dispensatio raro tantum conceditur et ordinarie nonnisi ex causa gravissima et publica quae in Religionis utilitatem vergat, aliquando tamen ex causa privatum tantum bonum respiciente hodie conceditur (1). E contra vota simplicia, quamvis sint perpetua ex parte voventis, tamen per dispensationem, quae a *Sede Apostolica* cui est reservata sat facile obtineri potest, solvuntur; item in Ordinibus stricte dictis etiam *ex parte Ordinis* solvi possunt in actu dimissionis, ita ut data dimissione professi ab omni vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant; talis dimissio spectat ad Ministrum Generalem cum suo Generali Definitorio, ad eamque procedi potest ob justas et rationabiles causas, non vero ex causa infirmitatis quae post vota simplicia supervenit (2).

19. Inter **effectus** quos vota religiosa producunt notandum ea, dummodo profitens sit in statu gratiae et ab omni prava affectione immunis, ab omni poena pro peccatis debita plenarie liberare et in hoc professio habet quandam similitudinem cum *baptismo* (3); vel, uti alii loquuntur, quia profitens semetipsum et omnia sua Deo in perpetuum consecrat, professio aequiparari potest *martyrio* et, si nullus ponatur obex, delet omnes poenas

---

(1) Cfr. Angelus a SS. Corde, *Manuale Juris Regularium*, Tom. 1, n. 170 sq.

(2) Cfr. S. Congr. super Statu Regul. 12 Junii 1858, I ad V (Bizzarri, pag. 855). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 64 sqq. et n. 330.

(3) Cfr. Ferraris, *Bibliotheca* (Ed. noviss.), Verb. *Regularis professio*, n. 98.

peccatorum, ita ut si quis statim post professionem moreretur, ipsius anima statim ad coelum evolaret (1).

20. Tandem notanda est distinctio inter **votum** et **virtutem** tali voto correspondentem. Votum scilicet nonnisi ad ea obligat, ad quae profitens sese in emissione voti adstringit et quidem sub *peccato;* virtus autem latius se extendit et semper altioris perfectionis capax est. Potest ergo haberi transgressio seu peccatum contra virtutem, quin votum violetur; quamvis econtra nunquam votum violari possit, quin simul laedatur et virtus tali voto correspondens (2).

CAPUT II.

DE VOTO OBEDIENTIAE.

21. « FIRMITER PRAECIPIO EIS UT OBEDIANT SUIS MINISTRIS IN OMNIBUS QUAE PROMISERUNT DOMINO OBSERVARE, ET NON SUNT CONTRARIA ANIMAE ET REGULAE NOSTRAE ». Hic Capitis decimi Regulae textus, in quo, ex unanimi EE. cum S. Bonaventura (3) doctrina, *Praelati Ordinis universi* nomine Ministrorum accipiuntur et qui inter praecepta formalia sub gravi obligantia citatur, non tamen con-

---

(1) Cfr. Aertnys, *Theologia Moralis,* Tom. 1, Lib. 5, n. 7.

(2) Cfr. tamen inferius dicenda n. 79.

(3) Cfr. S. Bonaventura, *Expositio super Regulam FF. Minorum* (Opera omnia, Edit. nova, Tom. 8, pag. 391), Cap. 10, n. 3; Cfr. inferius Part. 2, n. 234.

tinet praeceptum a *voto* obedientiae distinctum; sed potius dicendum his verbis **describi votum** obedientiae Fratrum Minorum.

22. Ex vi voti obedientiae a Regularibus parendum est omnibus **Praelatis Ordinis,** utpote Praelato generali, provinciali atque locali, servato ordine inter illos ita ut major minori praeferatur. Alios vero officiales Praelato inferiores, votum, saltem regulariter (1), non respicit, quamquam ex *virtute* obedientiae obtemperandum est illis (2).

23. Religiosi communiter ex voto obedientiae obligantur ad omnia quae Superior iis praecipit *secundum* Regulam et Constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite (3). Unde obedire tenentur non tantum in iis quae jam in Regula scripta inveniuntur, sed in iis omnibus quae ad perfectam Regulae observantiam vel ad proprii Instituti scopum attingendum, moraliter necessaria vel convenientia aut saltem utilia sunt; utpote obsequia communitatis, congrua poena delictis, negotia Ordinis promovenda etc. Ad hanc obedientiam Regulares tenentur non solummodo quoad actus *externos*, sed probabiliter etiam in *internis*, etsi consuetum non sit nec consultum ut Praelati sub peccato actus internos praecipiant (4).

---

(1) Non enim repugnat quominus jus vere praecipiendi ipsis tribuatur per specialem constitutionem vel Superioris delegationem (Cfr. Suarez, *De Religione*, Tract. 7, Lib. 10, Cap. 11, n. 18 sq.).

(2) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 28, Qu. 7.

(3) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 38.

(4) Cfr. Ibidem, n. 45.

Hinc excluduntur ab obediendi obligatione: *a*) quae sunt *contra* Regulam, nisi Superior habeat potestatem in ea parte Regulae dispensandi ac ex justa causa dispenset; *b*) quae sunt *supra* Regulam, uti censentur magnae corporis macerationes aut acceptatio beneficii saecularis, nisi talia ab Apostolica Sede Ordini vel Provinciae sint commissa; *c*) quae sunt *infra* Regulam, quales sunt res vanae et ridiculae (1).

24. An vero in **Ordine Seraphico** votum tam late se extendat ut Fratres Minores vi *voti* teneantur obedire in *omnibus*, etiam in iis quae sunt supra vel infra Regulam AA. non conveniunt. Multi praesertim Franciscani affirmant; docentes eos ex voto teneri obedire in omnibus quae non sunt contra animam vel Regulam; id est, quae nec mortale nec veniale peccatum constituunt, neque sunt incentivum ad illa, vel quae non adversantur praeceptis Regulae nec iis quae secundum Regulam praecipiuntur. Hoc tamen probabiliter negandum videtur cum pluribus AA. (2) qui docent, quodsi quaedam Regulae jubeant in omnibus obedire, id non de obligatione voti sed de obe-

---

(1) S. Alphonsus, Lib. 4, n. 39.

(2) Ita S. Alphonsus, l. c.; Miranda, *Manuale Praelatorum*, Qu. 26, Art. 12; Suarez, *De Religione Soc. Jesu*, Lib. 4, Cap. 22; Ballerini-Palmieri, *Opus Theologium Morale* (Ed. secunda), Tom. 4, *De statu Religioso*, n. 176; Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 28, Qu. 2; Vermeersch, *De Religiosis Institutis et Personis*, Tom. 1 (Ed. altera), n. 292. — Cfr. etiam Gabriel-Angelo da Vicenza, *La Regola dei Frati Minori* (Ed. 1899), Cap. 10, § 2, Art. 1.

dientiae *perfectione* (1) intelligendum esse; quare nec Fratres Minores ex *voto* obedire coguntur in his quae sunt supra Regulam absolute et simpliciter, neque in rebus inutilibus et vanis quae ad institutum Religionis nullo modo ordinari queunt. Negatur tamen consequentia inde deducta, scilicet Seraphicam obedientiam non esse ampliorem et strictiorem quam aliorum Religiosorum; cum enim Regula nostra plura quam quaecumque alia Regula contineat vera praecepta, etiam plura sunt quae in Ordine nostro *secundum* Regulam praecipiuntur et quibus ex *voto* nobis obediendum est (2).

25. Superiores Regulares praecipere possunt per modum **praecepti,** quod tamdiu obligat quamdiu manet Superior in suo officio; vel per modum **legis** seu statuti, quod fieri potest, non a Regularium Praelatis singulis, sed a Capitulo Generali et hae ordinationes sunt verae leges nec exspirant morte legislatoris. Tales verae leges sunt nostrae *Constitutiones Generales* quae tamen non obligant sub culpa sed tantum sub poena, nisi alias Fratres per jus divinum aut humanum sub culpa obligentur et nisi in ipsis censura aut obedientiae praeceptum ponatur (3). Praeterea in Ordine nostro etiam Capitula Provincialia, quae constant Definitorio simul cum caeteris vocalibus, leges condere possunt; ita tamen ut eorum ordi-

---

(1) Cfr. dicenda inferius n. 31.

(2) Cfr. Miranda, l. c.

(3) Vide *Constitutiones Generales*, n. 736; cfr. etiam inter alios n. 280 sqq.

nationes nullam vim *verae legis* habeant, nisi a Definitorio Generali fuerint confirmatae (1).

26. Superiores regulares imponere posse leges et praecepta obligantia sub **mortali**, praeter ea quae *expresse* in Regula continentur, est communis et irrefragibilis doctrina omnium. Ut autem praeceptum vel statutum sub gravi obliget, requiritur: *a*) *materia gravis* sive in se, sive ex circumstantiis; ad rem enim undequaque levem sub gravi obligari nequit; *b*) *intentio* Superioris volentis sub gravi praecipere; generatim Praelatus censetur obligare sub gravi, si praecipit hac vel simili forma: in virture sanctae obedientiae, in nomine Domini Jesu Christi, sub gravi, sub poena excommunicationis, suspensionis, etc. (2).

27. Alias obligat sub **veniali** tantum, modo verum *mandatum* exprimat, dicendo v. g. jubeo, praecipio etc.; vel, etiamsi talibus verbis non utatur, si adjuncta ejusmodi sunt quae plane demonstrant eum vero sensu vetare vel jubere (3). Attamen mortale peccatum esset inobedientia cum *formali contemptu*, et sic haberi potest peccatum grave: *a*) etiam in re levi; *b*) etiamsi Superior non formaliter jusserit; *c*) dum Religiosus aperte resisteret officialibus Praelato inferioribus (4). Nota tamen ad peccatum grave in casu requiri

---

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 10, Qu. 2, *Infertur* 1. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 5 et n. 470 sqq.

(2) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 534, II.

(3) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 27.

(4) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 536, 2; cfr. etiam dicta superius n. 22.

contemptum *formalem*, qui habetur si quis sciens et volens praeceptum transgreditur e contemptu auctoritatis *qua talis*, quod raro contingit; in contemptu enim *virtuali* quem dicunt, qui cadit in aliquid ab ipsa auctoritate diversum v. g. in materiam quae videtur ridicula, vel in personam quae censetur singularis indolis, nihil est quod per se grave peccatum involvit (1).

28. Si Superior *simplicem voluntatem* significat, non obligat sub culpa sed solum sub poena et correctione regulari; quo modo et ipsae Regulae et Constitutiones obligant, nisi expresse declaretur ea sub peccato praecipi. Hujusmodi tamen inobedientia deliberata est *imperfectio positiva* (2). In praxi vero, si fit sine justa causa, ut plurimum erit peccatum veniale; quia raro contingit Religiosum operari ex bono fine quando operatur contra Regulam vel voluntatem Superioris, sed ex acedia, ex delectatione aliove inordinato affectu (3).

29. In dubio utrum res imposita sit *licita* necne, vel si dubitatur num Superior, spectatis adjunctis, *possit* praecipere, Religiosus certe obe-

---

(1) Cfr. Genicot, *Theologia Moralis* (Ed. 4ª), Tom. 1, n. 108; Kerckhove, *Korte Verklaringhe op den Reghel der Minder-Broeders*, Cap. 10, n. 20.

(2) Imperfectio (moralis) est libera transgressio aut omissio consilii divini. Haec dicitur *positiva* quando positive repugnatur consilio et inspirationibus divinis intensioribus, quibus consulitur aliquod opus bonum non praeceptum; *negativa* quando inspirationes illae sunt magis remissae, ideoque illa positiva repugnantia non habetur (Cfr. Genicot, Tom. 2, n. 87, IV et Tom. 1, n. 149).

(3) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 29.

dire tenetur; quia praesumptio stat pro rectitudine praecepti ex parte Superioris et pro obligatione obediendi ex parte subditi. Idem dicendum etiamsi subdito *probabile* est rem praeceptam esse illicitam; nam Superior habet jus praecipiendi quod probabiliter licitum est, non obstante contraria probabilitate ac proinde justum est ejus praeceptum, praecepto autem justo parendum est (1); insuper opposita sententia nata est perturbationem in familiis religiosis inducere.

30. Quaestio movetur an detur differentia inter obedientiae votum solemne et simplex, seu an Ecclesia aliquem **effectum peculiarem**, prae simplici, solemni voto obedientiae tribuat (2). Juxta quosdam (3), effectus peculiaris solemnis voti obedientiae est, quod ita voventis voluntatem Praelato subjiciat, ut sine hujus consensu sit *inefficax* ad quamcumque obligationem civilem vel naturalem, per contractum vel alio quocumque modo suscipiendam; quare obligationes quas Religiosus erga alios iniit sine Superioris consensu et quae voto simplici redduntur *illicitae*, post solemne votum sunt prorsus *irritae*. Hoc tamen negatur ab aliis (4) asserentibus obligationes sine Praelati venia susceptas, sive a simpliciter sive a solemniter pro-

---

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 47; Cornelisse, Tom. 1, n. 79, II, 1.

(2) Cfr. dicta supra n. 18.

(3) Cfr. Gury, *Compendium Theologiae Moralis* (Ed. altera), Tom. 2, n. 170.

(4) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 534 sq.; Vermeersch, Tom. 1, n. 289; cfr. etiam Cornelisse, Tom. 1, n. 366, III, 1.

fesso, semper validas esse sed a Superiore posse irritari; ex quo concludunt votum obedientiae simplex et solemne non differre, nisi subjectionis promissae et acceptatae majore firmitate ex utraque parte.

31. Quoad discrimen **votum** inter et **virtutem** obedientiae (1) dicendum: materia voti est voluntaria executio *externa* mandati Superioris; materia virtutis vero est *interna* voluntatis submissio, ut libenter propter Deum faciat quidquid Superior imperaverit. Hinc duplex obedientia distinguitur: *necessaria* quae est impletio voti; et *perfecta* quae exercetur cum voluntatis affectu et alacritate tum in rem quatenus injunctam, tum in Superiorem quatenus eam praecipientem, et insuper non restringitur ad ea quae cadunt sub obligatione voti (2), sed extenditur ad omnia, etiam minima, quae non sunt contraria animae vel Regulae. Ergo ut obedientia religiosa perfecta sit et omnibus numeris meritoria, velociter ac hilari animo et in simplicitate cordis obediendum est in omnibus, illis tantum quae manifeste illicita sunt exceptis.

CAPUT III.

DE VOTO PAUPERTATIS.

32. Votum altissimae nostrae paupertatis, de quo fusius tractandum, **describitur** Capite sexto Regulae ubi legitur: « FRATRES NIHIL SIBI APPRO-

(1) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 28, Qu. 1; Gury, Tom. 2, n. 169.

(2) Cfr. dicta supra n. 23 sq.

PRIENT, NEC DOMUM, NEC LOCUM, NEC ALIQUAM REM; ET ..... VADANT PRO ELEEMOSYNA CONFIDENTER ». Quae verba exhibent praeceptum sub gravi obligans inter inhibitoria relatum, quod tamen non distinguitur ab ipso voto.

I. — *De voto religiosae paupertatis in genere.*

33. Religiosae paupertatis votum **generatim** est votum, quo Religiosus sese privat *libera dispositione* et *independenti usu* cujuscumque rei temporalis, ad bona fortunae pertinentis. Haec privato est de essentia hujus voti. Caeterum quoad Congregationes et Instituta religiosa, attendendum est quomodo Regulae et Constitutiones (juxta eas enim votum paupertatis emitti debet) illud circumscribant; maxime quod usumfructum, administrationem et dispositionem attinet, quippe quae plus minusve restringi possunt (1). Praeterea religiosa paupertas vetat etiam *usum superfluorum*, seu obligat ad usum moderatum; votum paupertatis enim, juxta communem AA. doctrinam (2), non prohibet solum vitium proprietatis sed ea quoque quae ipsi statui paupertatis quem Religiosi professi sunt, repugnat; ita ut etiam mera rerum superfluitate contra votum peccetur.

34. In Ordinibus stricte dictis, per votum paupertatis **simplex** Religiosus a se abdicat

(1) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 12.

(2) S. Alphonsus, Lib. 4, n. 30; Ballerini-Palmieri, Tom. 4, *De statu religioso*, n. 154; Aertnys, l. c. aliique. Cfr. tamen Vermeersch, Tom. 1, n. 240, 3.

suorum bonorum temporalium omnem administrationem et usum atque usumfructum qualemcumque, ita ut neque liceat ei statuere ut patrimonii sui fructus ipsi capitali accrescant(1); et retinere potest solum dominium *directum* seu *radicale* ut ajunt, quod est potestas in solam rei *substantiam*, ita ut in actualem usum et utilitatem transire nequeat.

35. Propterea ante vota simplicia Novitius, per actum saltem privatum, **cedere debet** suorum bonorum *administrationem*, *usumfructum* et *usum* quibus ei placuerit; Fratres Minores autem et Capuccini, quorum Ordines tali jure frui nequeunt, ea non possunt cedere suo Ordini (2). Haec cessio facienda est pro tempore quo Religiosus in votorum simplicium professione permanserit, et rescinditur ipso facto egressus ex Ordine; potest etiam ei apponi conditio ipsam esse quandocumque revocabilem; sed professus durantibus votis hoc jure revocandi, ergo et administratorem mutandi minime uti poterit, nisi accedente *Apostolicae Sedis* placito (3). Quando autem post

---

(1) S. Congr. Ep. et Reg. 21 Novembris 1902 (*Act. Ord.* Tom. 23 (1904), p. 107.

(2) S. Congr. super Statu Reg. 12 Junii 1858, IX et *Nota* (Bizzarri, pag. 856). Has juris dispositiones annotant nostrae *Constitutiones Generales*, n. 58: « *Novitius ante professionem votorum simplicium, de bonis temporalibus si quae possideat, ita disponat ut eorum dominio radicali solummodo sibi reservato caetera seu administrationem, usumfractum et usum, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserit, cedat quibus ei placuerit, non tamen suo Ordini* ».

(3) S. Congr. Ep. et Reg. 20 Decembris 1861 (Bizzarri, pag. 150). Cfr. etiam cit. S. Congr. 2 Junii 1905, apud Vermeersch, *Periodica*, Tom. 2, pag. 107, *Annotationes*.

professionem dispositiones supplendae sunt, uti si post vota emissa professo alia bona titulo hereditario advenerint, vel si ante vota cessio fuerit omissa, item casu quo administrator moreretur etc. cessio administrationis et usus assentiente *Superiore* fieri potest et debet, quin requiratur venia S. Sedis; talis enim dispositio imperatur paupertatis ratione, nedum huic adversetur (1).

36. **Retinent** ergo simpliciter professi dominium *directum* seu *radicale* tum bonorum quae ante professionem possidebant, tum eorum quae postea ad ipsos personaliter sive ex hereditate sive ex legato deferuntur, sive alio modo iis intuitu, non monasterii, sed *ipsorummet* donantur (2); atque huic dominio nequeunt renuntiare nisi *infra duos menses* ante professionem solemnem, ante hoc tempus renuntiatio esset omnino *invalida* (3); per testamentum autem possunt libere de illo disponere.

37. Per **solemne** votum paupertatis Religiosus realiter abdicat cujuscumque rei temporalis *omne jus politicum*, etiam dominium radicale tantum; imo hoc votum reddit Religiosum incapacem bona temporalia possidendi, et cujuslibet proprietatis actus nomine proprio exercendi.

38. Unde, ante professionem votorum solemnium Religiosus **renuntiare debet** bonorum do-

---

(1) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 247 sq.; Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 270, I, 3° et 4°.

(2) Cfr. Mocchegiani, Tom. 1, n. 104.

(3) Conc. Trid. Sess. 25, *De Regularibus*, Cap. 16, coll. S. Congr. super statu Reg. 1 Augusti 1862 (Bizzarri, pag. 865).

minio etiam *radicali*, et simul disponere de bonis quae habet vel postea habiturus est, in favorem cujusvis ipse voluerit, nihil omnino juris in ea sibi reservans; hinc qui non vere et absolute omnibus renuntiat et aliquid sibi in futurum, sive directe sive indirecte retinet, peccat in actu professionis (1). Hujusmodi renuntiatio fieri debet juxta dispositionem Concilii Tridentini, scilicet infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium (2), ita tamen ut effectum suum non sortiatur nisi professione secuta; votis autem emissis jam mutari nequit nisi de licentia S. Sedis (3). Quando vero talis renuntiatio ante professionem fuerit omissa, post solemnem professionem, nisi ex speciali *Apostolicae Sedis* indulto, jam suppleri non potest et bona professi ipso jure devolvuntur monasterio, si jus possidendi sit capax; si autem,

---

(1) Cfr. Kerckhove, *Commentaria in Statuta Generalia*, Cap. 1, § 14, n. 6 sqq.

(2) Conc. Trid. l. c. insuper praescripsit sub poena nullitatis ut renuntiatio fiat «*cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii*»; attamen contra hoc praescriptum ex auctoritate DD. admittenda est vis contrariae consuetudinis legitime introductae (Cfr. *Commentarius in Constitutiones Generales* apud *Acta Ord.* Tom. 21 (1902), pag. 78).

(3) Jus commune circa hanc abdicationem bonorum exhibent nostrae *Constitutiones Generales*, n. 70: «*Infra duos menses ante professionem solemnem professurus abdicationem etiam dominii radicalis omnium rerum et bonorum quae habet et per haereditatem post professionem habiturus est praemittere debet, servata forma in Concilio Tridentino praescripta; nec ipsi liceat aliquid testamento vel alio modo sibi reservare, nec post professionem solemnem dispositionem mutare, sine licentia S. Sedis*».

ut in Ordine Fratrum Minorum, conventus sit incapax successionis, bona hujusmodi obveniunt per se professi heredibus ab intestato (1).

39. Ad praecavendas vero difficultates quae oriri possunt ex **legibus civilibus** nunc vigentibus, quae omnes actus cessionis, donationis etc. valide factos, saltem ganeratim et per se *irrevocabiles*, et minorennes ad tales actus praestandos *inhabiles*, atque repudiationes hereditatis ante mortem testatoris *invalidas* declarat, renuntiatio bonorum in quae jus certum haberi potest v. g. hereditatis parentum, et a fortiori quae professurus actu possidet, fieri debet ante professionem in forma legis Tridentinae, sed per instrumentum privatum, *civiliter invalidum;* ac post professionem, quando opus est, renovetur per actum publicum *civiliter validum;* quin tamen illa immutari possit, quia in foro conscientiae jam ante professionem renuntiavit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus (modo professus ejusmodi bona non simpliciter repudiet, sed de iis quocumque modo disponere velit) recurrendum est ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium (2).

40. **Peculiaris effectus** ergo voti solemnis paupertatis est absoluta *incapacitas* cujuslibet dominii, etiam radicalis tantum, nomine proprio possidendi; quandoque tamen Rom. Pontifices indul-

---

(1) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 149.

(2) S. Congr. Ep. et Reg. 16 Septembris 1885 (Cfr. *Nouvelle Revue Théologique,* Tom. 22, pag. 28).

serunt ut Regulares, salva votorum solemnitate, bona nomine proprio, etiam in conscientia, possiderent (1).

41. Ex praedictis eruitur: a) **materia remota** voti paupertatis est *omnis res temporalis* seu pressius bona fortunae, pretio aestimabilia; ergo non abdicatur jus bonorum spiritualium uti sunt merita, indulgentiae, privilegia spiritualia, reliquiae, scientia et, cum ad scientiam pertineant, etiam propria manuscripta (2), excepto fortasse manuscripto quod praelo frugiferum facile reddi potest (3); directe scilicet retinetur jus in res scriptas et indirecte in chartam, quia sine posteriore prius haberi nequit; idem dicatur de reliquiis relate ad earum thecas, nisi thecae essent nimis pretiosae (4); item non abdicatur jus in vitam, famam etc.

42. Eruitur b) **materia proxima** voti paupertatis est horum bonorum temporalium *omne jus politicum* seu civile, tum quoad rem ut dominium et possessio, tum quoad ejus usum, scilicet: usus-fructus et usus juris; et solus excipitur *simplex usus facti*, innixus juri naturae seu juri poli, quod abdicari nequit (5).

---

(1) Cfr. superius dicta n. 17. — Hujusmodi indultum Apostolicum concessum est Regularibus Belgii et Neerlandiae, per Resp. S. Poenit. 1 Decembris 1820, confirmatum decreto Leonis XIII, 31 Julii 1878 (Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 524).

(2) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 14.

(3) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 523.

(4) Omnia subduntur tamen obedientiae; cfr. Lehmkuhl, l. c.

(5) *Jus politicum* seu *civile* est facultas moralis aliquid tamquam suum, exclusis caeteris, habendi, utendi etc.; huic opponitur *jus naturae* seu *jus poli*, i. e. facultas qua quis po-

43. Quoad discrimen inter **votum** et **virtutem** paupertatis notandum: votum tantum respicit actus *externos* proprietatis et usus immoderati, atque eos actus internos qui actum externum attingerent, uti voluntas et desiderium committendi quod sit contra votum; econtra *internus* cordis affectus ad res temporales est contra virtutem; unde meritum paupertatis non semel amittitur, quin tamen revera violetur paupertatis votum (1).

II. — *De voto paupertatis in Ordine Seraphico.*

44. Cum supra exposita incapacitate dominii etc. stat per se Regularium in *communi* verum dominium mobilium et immobilium. In Ordine nostro autem, votum paupertatis latius extenditur, nam verba Regulae: « FRATRES NIHIL SIBI APPROPRIENT, NEC DOMUM, NEC LOCUM, NEC ALIQUAM REM; ET TAMQUAM PEREGRINI ET ADVENAE IN HOC SAECULO.... VADANT PRO ELEEMOSYNA CONFIDENTER » non de Fratribus singulis sed, ex unanimi et constanti Ordinis traditione, de Fratribus familiam con-

---

test et debet tueri vitam suam necessariis et opportunis mediis. *Dominium,* quod etiam dicitur *proprietas,* generatim est jus disponendi de re sua pro libitu, nisi lege prohibeatur. *Possessio* est rei detentio animo domini. *Ususfructus* est jus utendi et fruendi re aliena, salva ejus substantia. *Usus juris,* seu *usus rei* dictus, est jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia; huic opponitur *simplex usus facti,* seu actualis rei usurpatio dependens a libera domini voluntate, ita ut pro hujus libitu revocari possit (Cfr. Sporer-Bierbaum, *Theologia Moralis,* Tom. 2, Tract. 6, n. 9 sqq.).

(1) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 520, V et n. 530.

stituentibus intelligenda sunt; ut patet ex ipso contextu (1), et ex declaratione Gregorii IX (2) dicentis: *quod neque in communi, neque in speciali* (Fratres) *debent proprietatem habere*, quod et confirmarunt Nicolaus III (3) et Clemens V (4). Fratres Minores ergo non solum in individuo sed etiam **in communi** facultate possidendi sunt destituti, et quidem non tantum vi praecepti Regulae, sed *vi voti;* nam votum solemne per se includit expropriationem bonorum, quae expropriatio vovenda est *juxta sensum Regulae* cujuscumque Ordinis (5), ergo in Ordine Seraphico etiam in communi; et haec altissima paupertas, teste Concilio Tridentino (6), est praerogativa veris S. Francisci sectatoribus, scilicet, Fratribus Minoribus et Fratribus Minoribus Capuccinis omnino propria.

45. Quia Fratres Minores, obstante sua professione, nec in speciali nec in communi aliquid juris circa res temporales habere possunt, **domi-**

---

(1) Cfr. Hieronymus a Politio, *Expositio in Regulam Seraphici Patriarchae S. Francisci* (Ed. ultima), Cap. 6, n. 10.

(2) Const. *Quo elongati*, 28 Septembris 1230 (*Bullarium Franciscanum*, Tom. 1, pag. 68).

(3) *Exiit*, Art. 2, n. 1.

(4) *Exivi*, Art 8, n. 1.

(5) Cfr. dicta supra n. 13.

(6) Conc. Trid. Sess. 25, *De Regularibus*, Cap. 3 statuit: *Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis, et domibus tam virorum quam mulierum, et mendicatium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capuccinorum et eorum qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

nium caeteraque jura politica omnium rerum quibus Fratres utuntur, remanent apud *dantes* donec res fuerint consumptae, si sibi dicta jura reservaverunt. Cum autem, si dantes secus non exprimunt, eorum intentio fuisse credatur ut res oblatas omnino a se abdicent; ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, neque ipsi Fratres pauperes opportunis auxiliis fraudentur, Rom. Pontifices *in se* et *Romanam Ecclesiam* assumpserunt dominium omnium rerum quarum usum Fratribus licet habere. Ita expresse declaravit Nicolaus III (1) tum circa utensilia, libros caeteraque mobilia, tum circa immobilia; et quamvis Joannes XXII (2) praedictam Nicolai III ordinationem cassavit, et declaravit aliquarum rerum dominium ad Ecclesiam non transire, illius tamen constitutio annullata est a pluribus Pontificibus ei succedentibus (3), qui decretales Nicolai III approbaverunt et confirmaverunt (4).

III. — *De obligationibus nostri voti paupertatis.*

46. Cum Religiosi nullum *usum independentem* alicujus rei temporalis, ad bona fortunae pertinentis, habere possint; atque, docente Tridentino (5): *eorum supellex statui paupertatis*

(1) *Exiit,* Art. 4, n. 1 sqq.

(2) Const.: *Ad conditorem,* 8 Decembris 1322 (*Bull. Franc.* Tom. 5, pag. 233).

(3) Cfr. imprimis Alexander VI, Bulla: *Uberes fructus* 10 Julii 1494 (Waddingus, Ad annum 1494, n. 90).

(4) Cfr. Marchant, Cap. 4, Tit. 1, Qu. 4 sq., pag. 203.

(5) Conc. Trid. Sess. 25, *De Regularibus,* Cap. 2.

quam professi sunt conveniat, nihilque superflui in ea sit; ac tandem Ordo Minoriticus *neque in communi* aliquid possidere valeat, ad tria capita revocantur **obligationes** ex nostro voto paupertatis profluentes. Prohibetur scilicet: *a*) usus independens; *b*) usus immoderatus; *c*) omnis actus dominii etiam in communi.

A. *De usu independenti.*

47. Usus independens, quo contrahitur peccatum *proprietatis* dictum, intelligitur usus sine debita Superioris **licentia.** Quare determinandum quaenam licentia Superioris requiratur et sufficiat, ut usus sit dependens ab illius voluntate et per consequens Religioso licitus.

48. Licentia qua hoc vitium arcetur, quadruplex **distinguitur**: *a*) *expressa* seu verbis, nutu, vel facto reapse data; *b*) *tacita*, quae ex facto vel voluntaria omissione Superioris concluditur revera adesse; uti v. g. si Superior rei conscius non contradicit, etsi facile contradicere possit; ad quam tacitam licentiam etiam referri potest legitima consuetudo; *c*) *praesumpta*, seu pressius praesumpta *de praesenti*, quae ex Superioris dispositionibus aliunde notis merito censetur hic et nunc saltem virtualiter adesse; *d*) *interpretativa*, seu etiam *praesumpta de futuro* dicta, quae de facto quidem nullo modo adest nec adesse supponi potest, tamen arguitur a Superiore concedenda si res ei proponeretur (1).

---

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4. n. 18; Bouix, *De Jure Regularium*, Tom. 2, Part. 6, Sect. 5, Cap. 1, § 6.

Multi tamen AA. (1) licentiam *praesumptam* et *interpretativam* confundunt, cum pro praxi eaedem conditiones ad utriusque licitum usum requirantur (2).

49. Sicut licentia *expressa,* ita ad **licite agendum** certe sufficit et licentia *tacita;* haec enim expressae aequiparatur et eadem est utriusque virtus. Quod autem spectat licentiam vél *praesumptam* vél *interpretativam* dicendum: *a*) illius usus est omnino licitus, si Superior prudenter judicari potest nec quoad *substantiam* nec quoad *modum* esse invitus, i. e. eum non tantummodo ipsam *actionem* approbare, sed etiam modum quo subditus agit *non prius petita venia;* *b*) si Superior rationabiliter supponi potest ipsam actionem, seclusis illius circumstantiis, ratihabere, nihilominus aegre ferre quod *ipso inconsulto* agatur, votum paupertatis non vitiatur; laeditur tamen disciplina regularis, adeoque saltem virtus obedientiae; *c*) quando autem Superior circa usum alicujus rei supponitur invitus etiam quoad *substantiam,* quia tunc illius licentia nec praesumi nec interpretari potest, contrahitur peccatum proprietatis, voto paupertatis oppositum (3).

50. Religiosus qui unam alteramve rem cum licentia *praesumpta* vel *interpretativa* accepit, postea, si res consumpta jam est, non te-

(1) Cfr. Aertnys, Lib. 5, n. 16; Genicot, Tom. 2, n. 94; Vermeersch, Tom. 1, n. 260, 3; aliique.

(2) Cfr. tamen mox dicenda n. 50.

(3) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 17 sq.

netur ex voto paupertatis illud Superiori **manifestare**, quamvis illum monere semper deceat. Si vero res nondum est consumpta tenetur subditus ut monent AA. (1) rem Praelato referre ut deinde possit eam licite *retinere*. Haec tamen manifestatio, si res accepta est cum licentia praesumpta *presse tali*, forsan suadenda potius quam injungenda foret.

51. Ne autem, praefata doctrina largius applicata, locus detur **relaxationi**, summopere cavendum est ne praesumantur quae praesumi non debent, et advertatur hujusmodi licentias, quamdiu Superior adiri potest, non esse facile praesumendas; Praelati enim, si non quoad substantiam, saltem quoad *modum* plerumque sunt inviti. Quare Religiosi ex praesumpta licentia res quasdam accipientes, si non contra paupertatem delinquunt, pluries tamen non a laesione obedientiae excusantur (2). Imo, nec semper quae sub oculis Praelati fiunt ab eo tacite *approbata* sunt censenda; etenim non raro Superiores coguntur plura tolerare, quae vident fieri contra suam voluntatem (3).

52. Usu, juxta praenotata, independenti, contra votum paupertatis **in specie peccat**: *a*) Qui ab *extraneo*, absque Superiorum licentia aliquam rem accipit, retinet, absumit; etiamsi rem accipiat solo mutuo vel commodato, quia etiam hoc in

---

(1) Cfr. S. Alphonsus, Aertnys, Vermeersch, ll. cc.
(2) Cfr. superius dicta n. 49 *b*.
(3) Cfr. S. Alphonsus, l. c. *Non obstat.*

casu habetur usus independens. *b*) Etiam peccat qui res ad *monasterium* pertinentes, vel quarum usus monasterio est concessus, etiam ex iis quae ad victum et vestitum pertinent, absque licentia Superiorum *sibi* usurpat. *c*) Peccat Religiosus, qui res conventus, etiamsi sint ex iis quae *ipsi ad usum permissae* sunt: α) absque licentia extraneo vel confratri donat, alienat vel distribuit, nisi sint ex iis quae conceduntur ut aliis donari possint; item qui tales res commodato dat vel cum aliis rebus permutat (1); β) qui eas lata culpa sua perire sinit, vel in proprium commodum destruit; si vero destruuntur solo animo damnificandi, absque usu vel commodo, non violatur votum paupertatis sed sola justitia (2); γ) qui talia in usu retinet ultra tempus praefixum; δ) qui illas res, quando ad certum usum taxative destinatae sunt, contra Praelati voluntatem ad alium usum impendit. *d*) Item peccant *administratores*, *dispensatores* aliique omnes qui res quascumque, sive extraneo sive domestico, largiuntur, vel expendunt aliter ac voluntas Superioris postulat; qua ratione et ipsi *Superiores* peccant si res aliter expendunt quam Regula, vel consuetudo, vel majorum Praelatorum voluntas permittit; Superiores enim non sunt bonorum conventus domini sed administratores tantum (3).

---

(1) Vide *Constitutiones Generales*, n. 258.

(2) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 257; Genicot, Tom. 2, n. 93, 1°.

(3) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 28; Kerckhove, *In Reg.* Cap. 6, n. 10, 7.

53. Non peccat contra votum religiosae paupertatis: *a*) Qui *apud* extraneos comedit vel bibit absque Superioris licentia; est sententia probabilior (1). In his enim et similibus dominus ipse, ajunt AA., videtur esse qui utitur re sua circa personam Religiosi; potius vero Superior diceretur praesumi debere, invitus non esse quoad ipsam cibi vel potus sumptionem, sed quoad *modum* et *locum;* ergo non laeditur paupertas sed obedientia. Paupertatis votum tamen violaret, ut DD. unanimiter docent, qui cibos vel potus *secum* domum ferret, postea quando libuerit consumendos. *b*) Neque peccat qui absque licentia ab extraneo accipit res non nomine proprio, sed nomine *dantis* distribuendas alicui operi vel personae *determinatae,* ita DD. communiter; sed neque peccare videtur, si nomine dantis operi *indeterminato,* v. g. pauperi quem ipse Religiosus eliget, tribuendae sunt (2). *c*) Nec peccat qui inscio Praelato *depositum* accipit in simplicem rei custodiam, absque jure a deponente concesso, eadem re utendi (3); cavendum tamen ne monasterium damni periculo exponatur; in his tamen et in supra allatis obe-

---

(1) Ita Lugo, *De Justitia et Jure,* Disp. 2, n. 51 sqq.; quem sequuntur Genicot, Tom. 2, n. 93, 7, et Vermeersch, Tom. 1, n. 256; contradicunt tamen Lehmkuhl, Tom. 1, n. 528, 1, et Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 13.

(2) Ita Suarez, *De Religione,* Tract. 8, Lib. 8, Cap. 15, n. 16; Ballerini-Palmieri, Tom. 4, *De statu religioso,* n. 132; Vermeersch, Tom. 1, n. 257, 3; Lehmkuhl, Tom. 1, n. 528, 3; et plures alii.

(3) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 15, Qu. 6.

dientiae votum pluries violatur. *d*) Neque votum laedit qui sine licentia Superioris *recusat* res *sibi* oblatas ex liberalitate; neque, ex probabili sententia, peccat contra paupertatem, qui eas recusat etiamsi oblatae sint in favorem *communitatis* (1), etsi quandoque contra caritatem delinquere possit; votum paupertatis enim obligat ad non alienandum acquisita, non vero ad acquirendum quae nondum acquisivit; peccat autem qui renuntiat *juri jam acquisito* (2) sive a seipso et consequenter a monastario, sive a S. Sede, puta legatis sibi relictis, stipendiis operis praestiti, etc. (3).

---

(1) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 258 contra Piat. Montensem, Tom. 1, Qu. 273.

(2) Cfr. Vermeersch et Piat. Montensis, ll. cc.

(3) Praeterea, plures AA. docent non peccare contra votum paupertatis, qui inscio Praelato, suscipit *meram curam et administrationem bonorum alienorum,* etiam emendo, vendendo, solvendo etc., in alterius utilitatem, dummodo hoc sibi nullum emolumentum temporale afferat (cfr. Lugo, *De Justitia et Jure,* Disp. 3, n. 155, et Vermeersch, Tom. 1, n. 257). Quod vero, hac de re, pro *Fratribus Minoribus* ad praxim attinet, cum ordinarie fieri nequeant sine interventu denariorum, praedictae curae et administrationes severe eis a Sede Apostolica interdictae sunt; legitur enim apud Innocentium XI, Bulla: *Sollicitudo* « *Ut omnis occasio transgrediendi praeceptum de non contractandis denariis seu pecuniis auferatur, omnibus et singulis dicti Ordinis Praelatis sive Superioribus, in virtute sanctae obedientiae et sub poena privationis officiorum suorum injungimus, ut nulli Religioso ejusdem Ordinis permittant administrationem fundorum, reddituum, aut quarumcumque aliarum rerum et bonorum mobilium et immobilium, cujuscumque domini illa sint* ». — Vide *Constitutiones Generales,* n. 205. — Licite tamen possunt Fratres in re administranda dare consilium (Cfr. *Exivi,* Art. 12, *Verumtamen*).

54. Notandum denique pro rebus **minoris momenti**, praesertim saepe necessariis, tum ad dandum tum ad accipiendum, tum relate ad extraneos tum relate ad confratres, generalem licentiam singulis Religiosis concessam censeri (1). Quaenam res minoris momenti habeantur, a voluntate Superiorum et ex praxi piorum cognosci potest; ast si constat donationem quandam vel acceptationem, quamvis minimam, a Superiore non approbari, vi voti prohibetur.

B. *De usu immoderato.*

55. Relate ad statum paupertatis, cui omnis usus immoderatus seu abundans plane repugnat, **duplex usus** secerni solet, nimirum: usus *moderatus* qui tum ab abundantia tum a notabili penuria remotus, variis divitum commodis caret, sed nec in summa egestate degentium incommoda sentit; et usus *arctus* qui nonnisi summe necessaria pro vitae conservatione praebens, varia incommoda producit atque extra casum gravis necessitatis etiam simplicem facti usum excludit (2).

56. Usus **arctus** Ordini seraphico in nonnullis rebus vi praeceptorum Regulae quidem impositus est (3); ipsum *rotum* vero *ex se* ad eum

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 5, n. 13.

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 85, n. 1.

(3) Talia sunt quae de paucitate vestium, de non portandis calceamentis, de non equitando, de non recipiendis denariis, in Regula praescribuntur; ut inferius Part. 2, suis locis explicabitur.

non adstringit, sicuti declaravit Clemens V (1); votum enim vetat quidem abundantiam, sed non injungit penuriam. Quare, testante Nicolao III (2), etiam Franciscalibus, vetito semper usu immoderato, licitus est usus moderatus in omnibus rebus, in quibus usus arctus non expresse per eorum Regulam praescribitur (3).

57. Usus **moderatus** excludit omnem superfluitatem, pretiositatem et curiositatem; inde Fratres qui quoad ea excedunt modum in usu rerum sibi concessarum, pro quantitate materiae graviter vel leviter peccant contra votum paupertatis. *Superfluum* est quo quis commode carere potest, aut sine quo necessitati commode satisfacere valet. *Pretiosum* dicitur quod, respective ad cujusvis statum et accommodam necessitatem, excedit in pretio et valore; distinguitur autem pretium *intrinsecum* quod ex rei materia petitur, uti fit in vasis aureis, et *extrinsecum* quod a circumstantiis externis habetur uti v. g. in picturis; quae intrinsece magni pretii sunt, interdicta censentur; ea vero quorum pretium magnum ab extrinseco petitur, in se prohibita non sunt. *Curiosum* intelligitur quod sanctae simplicitati et asperitati opponitur, et saeculi fastum redolet (4); non ideo tamen externa *mundities* interdicitur, quae

(1) *Exivi*, Art. 18, n. 2. — Cfr. Marchant, Cap. 4, Tit. 2, Qu. 1, pag. 207.

(2) *Exiit*, Art. 3, n. 1.

(3) Cfr. Kazenberger, Cap. 6, Qu. 2; Gabr. da Vicenza, Cap. 6, § 1, Art. 5.

(4) Vide *Constitutiones Generales*, n. 272.

Religiosum ubique et in omnibus decet; media ergo via incedendum est (1).

58. Ad usum moderatum Religiosi vi voti paupertatis obligantur, juxta modum in suo Ordine approbatum et Regulae conformem; circa hunc usum **Fratribus Minoribus** prae caeteris Regularibus, ex declaratione Clementis V (2), speciatim injungitur ne habeant *ecclesias et alia quaecumque aedificia* quae, considerato Fratrum inhabitantium numero, *excessiva* in multitudine et magnitudine debent reputari; item eis prohibentur *vasa et paramenta* ecclesiastica *nimis* pretiosa et superflua; nam etsi vasa sacra aliquatenus pretiosa esse possunt, nullatenus tamen nimia eorumdem copia aut excessiva pretiositas nobis licita est (3).

59. **Judicium** de usu moderato ferendum est secundum personarum, temporum et locorum circumstantias (4). Non enim idem usus sanis qui infirmis licitus esse potest; in festis et magnis solemnitatibus usus quidem moderatus dici potest, qui aliis temporibus esset immoderatus: in una regione usus alicujus rei, utpote etiam infimae plebis hominibus communis, moderatus habetur, non vero in alia regione in qua eadem re divites tantum utuntur, et sic de caeteris (5). Ex quibus

---

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 5, n. 5; Alb. a Bulsano, § 86, n. 2 sqq.

(2) *Exivi*, Art. 15 sq.

(3) Vide *Constitutiones Generales*, n. 292 et 148.

(4) Cfr. *Exiit*, Art. 5, n. 2.

(5) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 5, n. 16.

patet superfluitatem, curiositatem et pretiositatem facile discerni non posse; propterea subditi in his non debent proprio inniti arbitrio, sed potius Superiorum acquiescant judicio, quibus imprimis incumbit discernere, utrum usus alicujus rei revera sit moderatus necne. Quod si in quibusdam locis sit superfluitas, pretiositas aut curiositas rerum, ex iis tamen non vitiantur Fratres, nisi solum iis consentientes, vel ea inducentes, vel si possunt commode resistere, legitime non resistentes (1).

C. *De expropriatione in communi.*

60. A. Ex eo quod Fratres Minores ne in communi quidem aliquid proprium possidere, nec ullum jus civile habere possunt, eruitur eos ad **mendicitatem** teneri (2). Sensus hujus non est eos teneri ad stricte ostiatim mendicandum; *actualis* enim mendicatio equidem a Regula praecepta non est, sed solummodo concessa in quantum neces-

---

(1) Cfr. S. Bernardinus Senensis, *Epistola Encyclica* 31 Julii 1440, § 3 sq. (Waddingus, *Ad annum* 1440, n. 12), in qua et legitur: « *Et propterea Clemens V, licet decreverit aedificia nimis sumptuosa non convenire statui Fratrum Minorum, tamen praecepit sub poena excommunicationis, quod dicta loca Fratres non relinquerent absque Sedis Apostolicae licentia speciali* ». Similiter Leo X, Const. *Merentur,* 2 Januarii 1514, § 3 *(Bull. Rom.* Tom. 1, pag. 542) pro pace conscientiarum declaravit Fratres paramentis et vasis ecclesiasticis pretiosis et aliis rebus, quibus Ordo vel Fratres utantur, *si jam accepta sint,* sine professionis macula uti et potiri licite possunt (Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 5, n. 1).

(2) Vide *Constitutiones Generales,* n. 255.

saria habetur, quando scilicet ea quae, sive in mercedem laboris sive ut eleemosynae sponte oblatae, Fratribus conceduntur, non sufficiunt ad eorum necessitates sublevandas. Sed sensus est Minores, vi eorum omnimodae expropriationis, teneri ad mendicitatem qua coguntur vitam sustentare *aliena beneficentia*, sine ullo *jure civili;* ita ut quae ipsis quovis modo dantur etiamsi in mercedem praestiti laboris, ut mendici accipiant, et res quibus utuntur, tamquam puram eleemosynam seu tamquam rem alienam retineant; ex qua ratione prohibentur omnia quae stabilem fructum seu provisionem tribuunt in futurum et sic mendicitatem tollunt, quae omnia contradicunt essentiae Seraphicae paupertatis (1).

61. Unde Clemens V (2) speciatim Fratribus Minoribus prohibuit, habere **redditus annuos** vel quae ad naturam redditus accedunt, uti sunt: *a*) pecuniam ad *fenus* collocare et *b*) sibi procurare *assecurationem vitae* quam vocant (3); haec enim jus seu actionem tribuunt ad aliquid annuatim recipiendum et sic a mendicitate separant; *c*) habere domus, agros, hortos etc. quae *locantur*, vel quorum fructus *pretio distrahuntur;* nam etsi Fratribus non tantum domus ad habitandum, sed etiam horti liciti sint tum ad deambulandum tum

(1) Cfr. Marchant, Cap. 6, Text. 2, Tit. unic. Qu. 1, *Conclusio*, pag. 396 et Qu. 2, pag. 403; Kazenberger, Cap. 6, Qu. 4, *Respondeo* 1.

(2) *Exivi*, Art. 10 et 13 sq.

(3) Non tamen reprobatur praxis, qua ecclesia et conventus inscribuntur associationi securitatis contra incendium etc.

ad habendos flores sive ad recreationem sive in usum ecclesiarum, uti etiam hortalitia pro cibis necessaria, atque arbores et vites ad fructus pro usu familiae colligendos, tamen Regulae repugnat domus et hortos ita habere ut exinde annui redditus proveniant (1); *d*) extra casum evidentis necessitatis, habere *granaria et cellaria* quorum *magnae provisiones* certitudinem pro futuro pariunt; ex hoc autem non sequitur *omnem* rerum necessariarum provisionem Fratribus interdici; earum enim rerum quae solummodo certo quodam tempore obtineri possunt et alio frustra quaerentur, *aliqua* provisio necessaria est et propterea licita; neque res illae quae quovis tempore mendicari possunt in tam parva quantitate colligi debent ut Fratres quasi quotidie ad mendicandum excurrere debeant, sed vetantur tales magnae provisiones quibus mendicitas, si non tolleretur, tamen notabiliter imminueretur; media proinde via sequenda est, ut superfluorum accumulatio vitetur, necessariorum vero moderata provisio fiat, quod a Clemente V (2) Superioribus dijudicandum relinquitur (3); *e*) *nutrire animalia*, puta apes, gallinas, oves, porcos, vaccas etc., quasi ad *fructificandum* vel *vendendum;* neque id licet in proprium usum si fiat in magna quantitate; talia enim accedunt ad naturam redditus, vel provisio-

---

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 93, n. 1 sqq. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 256.

(2) *Exivi*, Art. 14.

(3) Cfr. Alb. a Bulsano, § 99.

nem sapiunt qua mendicitas gravem jacturam pateretur; quare etiam hac in re tenenda videtur norma quam Clemens V (1) statuit pro habendis granariis et cellariis, ut scilicet animalium nutritio non fiat nisi sit multum credibile ex jam expertis, quod non possint vitae necessaria, in casu carnes, lac, ova etc. aliter invenire (2).

62. B. Eandem ob causam Fratres Minores, ex declaratione Clementis V (3), non possunt acceptare **hereditates** quae eis ab intestato obveniunt, vel per testamentum sive gratis sive adjecto onere, v. g. certum Missarum numerum celebrandi, Conventui, Provinciae, Ordini vel ipsis Fratribus adscriptae sunt. Ratio est quia hereditas est successio omnium jurium defuncti, uti laudatus Pontifex clare innuit; heres enim quasi continuans personam defuncti, possessionem adipiscitur omnium ejusdem bonorum, jurium et actionum, et fit dominus, possessor, creditor et actor, *eo ipso* quod heres *est* vel hereditatem *adit* (4); quorum omnium Fratres Minores incapaces sunt.

63. Possunt tamen Fratres, uti Nicolaus III (5) claris verbis testatur, si modo licito eis relinquuntur, acceptare **legata** quae unica solutione vel praestatione adimplentur, ea tamen conditione ut sint in quantitate *moderata* et non in fraudem

---

(1) *Exivi*, l. c.

(2) Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 26 (1907), pag. 197.

(3) *Exivi*, Art. 9.

(4) Cfr. Marres, *De Justitia*, Tom. 1, Lib. 1, n. 266.

(5) *Exiit*, Art. 11.

paupertatis (1). Legatum enim est donatio vel eleemosyna quaedam, a defuncto relicta et ab herede vel testamenti executore praestanda, quam Fratres eodem modo ac quamcumque aliam eleemosynam, sine ullo jure ad eam, recipere possunt (2).

64. Econtra **legata perpetua** accipere Fratribus omnino est interdictum (3), quia si in perpetuum providetur necessitas jam excluditur paupertas. Possunt tamen, uti pluries decisum est (4), per modum purae eleemosynae absque alicujus debiti civilis obligatione, quotannis accipere quae heres vel executor conscientiae suae consulens, eis praestare *paratus* est; ast nullo modo Fratres hujusmodi annuas praestationes *exigere* possunt, si heredes vel testamenti executores illas dare non velint (5). Si tamen in aliquo conventu vel provincia talia legata nimis multiplicarentur, ita ut in providendo necessitatibus quamdam certitudinem praeberent praescriptae nobis mendicitati contrariam, non liceret Fratribus illa acceptare (6).

---

(1) Cfr. *Exivi*, Art. 9, n. 2.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 6, Text. 2, Qu. 1, *Dub.* 2, pag. 309.

(3) Vide *Constitutiones Generales*, n. 278. — Cfr. S. Congr. Ep. et Reg. 20 Julii 1686 (Bizzarri, pag. 279).

(4) Cfr. S. Congr. Ep. et Reg. 3 Augusti 1674; 26 Martii 1677 et mensis Aprilis 1756 (Bizzari, pag. 335 sq. et 384).

(5) Cfr. Kazenberger, Cap. 6, Qu. 4, *Respondeo* 4. — Quaenam observanda veniunt quoties legata perpetua in favorem Fratrum relinquuntur, statuunt *Constitutiones Generales*, n. 280 sqq.

(6) Eandem ob causam praescribunt *Constitutiones Generales*, n. 283: « *Per sanctam obedientiam* (ergo sub peccato mortali) *injungimus, ne quis quempiam inducat ad nova legata*

65. Neque possunt Fratres, uti iterum Clemens V (1) declaravit, **assistere curiis** et litibus seu processibus, i. e. non possunt habere actionem in judicio ad juridicam defensionem aut repetitionem bonorum faciendam. Huic tamen non obstat quin possint Syndici Apostolici in judicio contentioso, res Fratribus concessas defendere et repetere nomine *Romanae Ecclesiae*, secluso omni concursu, cooperatione vel assistentia Fratrum et remoto scandalo (2); curiis autem assistere, causas sollicitare et similia facere quae concursum aut cooperationem ex parte *Fratrum* sapiunt, sunt contra Regulam et declarationes pontificias (3).

66. D. Tandem ex eorum omnimoda expropriatione sequitur, Fratribus prohiberi quoscumque **contractus civiles** *proprio nomine* inire, vel rerum temporalium administrationem et dispositionem *propria* auctoritate habere; haec enim abdicationi proprietatis penitus incompossibilia sunt. Quod autem spectat administrationem ministerialem seu contractus qui fiunt nomine *alieno*, regula generalis proponitur, scilicet: omnis actus in contractibus qui nullam dicit obligationem *civilem*, Fratribus Minoribus licitus est; actus autem quicumque *civilem* obligationem inducens, omnino prohibetur.

(intellige: legata perpetua) *conventui vel Ordini facienda* » (Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 27 (1908), pag. 125). — Vide etiam *Constitutiones Generales*, n. 277.

(1) *Exivi*, Art. 11.

(2) Cfr. dicenda inferius, Append. n. 264 et n. 267.

(3) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 3, n. 26.

67. Ex quo concluditur Fratres administrationem rerum temporalium **ministerialem civilem** exercere non posse, neque ullum contractum emptionis, venditionis, donationis, mutui, locationis, commutationis (1) etc. *in sensu stricto*, brevi nullum contractum *civilem* posse inire; quia talia, etiamsi fiant nomine *alieno* seu ministerialiter, jus civile supponunt et producunt, uti v. g. in venditione mandatarius sese obligat ad pretium ex pecunia mandantis debito tempore solvendum; unde haec omnia, ubi opus est, a Syndico Apostolico fieri debent (2). Ergo neque Fratres fungantur muneribus quae absque administratione civili adimpleri nequeunt, et sic non possunt esse testamentorum executores (3), pupillorum tutores, minorennium curatores, familiarum oeconomi etc.

68. Econtra administratio **ministerialis naturalis** licita est, scilicet: *a*) possunt Superiores *emere* et *vendere* sensu *latiori*, i. e. naturali judicio pretium rei aestimare, rem acquirere et per

(1) Dicunt nonnulli cum Marchant (Cap. 6, Text. 1, Tit. 3, Qu. 5, *Conclusio* 3, pag. 380) *commutationem civilem ministerialem* non esse illicitam, juxta declarationem Nicolai III, *Exiit*, Art. 12, n. 1, qui concedit commutationem librorum etc. fieri posse a Superioribus; ast, videtur Pontifex concedere solam commutationem unius rei ad alteram, ministerialem naturalem (cfr. n. seq. *d*), sine obligatione civili rem aequivalentem tradendi, seu absque aestimatione pretii, ac quatenus dicit solam fidelitatem et aequitatem naturalem (Cfr. Alb. a Bulsano, § 80, n. 1).

(2) Vide *Constitutiones Generales*, n. 213. — Cfr. inferius Append. n. 263 sq.

(3) Ita declaravit Clemens V, *Exivi*, Art. 12.

personas idoneas solutionem vel venditionem procurare; *b*) possunt etiam *commodare* et commodata accipere *sine* obligatione civili, tantum bona fide promittentes se rei commodatae bonam habituros custodiam eamque debito tempore reddituros; *c*) *donatio* quae fit *intra* Ordinem, quia non est nisi usus simplicis translatio, Superioribus licita est, nisi rei dominus id prohibuerit; donatio *extra* Ordinem, modo non detur pecunia (1), ex declaratione Nicolai III (2) fieri potest sub his conditionibus: ut res sit mobilis, ut sit parum valens et ut fiat pietatis intuitu seu pro alia rationabili causa; *d*) *commutatio* naturalis illarum rerum quae pertinent ad Romanam Ecclesiam, concedente Nicolao III (3), tam intra quam extra Ordinem fieri potest a *Superioribus*, idque sine scitu Syndici; si autem rei commutandae dominium manet apud dantem, requiritur ejusdem consensus saltem praesumptus (4).

IV. — *De gravitate peccati contra paupertatem.*

69. Praenotandum in peccatis contra votum paupertatis **duplicem malitiam** reperiri posse, unam contra *religionem*, alteram contra *justitiam*. Violationi enim voti per se inest peccatum sacrilegii, dum usus alicujus rei sine licentia domini constituit peccatum furti; ad quod advertas in usu

(1 Cfr. inferius dicenda, Part. 2, n. 179, *d*.
(2) *Exiit*, Art. 13.
(3) *Exiit*, Art. 12, n. 1.
(4) Cfr. Kazenberger, Cap. 6, Qu. 3.

sine licentia Superioris earum rerum quarum dominium est apud communitatem seu penes Sedem Apostolicam, semper haberi usum sine licentia domini ergo et injustitiam. Praeterea in reatu contra ipsam paupertatem distinguenda sunt *laesio vitae pauperis* statui religioso convenientis, seu usus immoderatus, et *peccatum proprietatis* seu usus independens. Quare **triplex peccatum** perpendere hic oportet, scilicet: 1) peccatum injustitiae, 2) laesio vitae pauperis, et 3) peccatum proprietatis.

70. I. Peccatum **injustitiae** a Religioso illatae alicui *tertio*, non regitur principiis peculiaribus. Quantum autem requiratur ut furtum de rebus *monasterii* sit grave, dissentiunt AA. Sententia docentium illam materiam esse gravem quae grave peccatum in furto filiorum familias constituit, scilicet materiam duplo majorem ac in furtis adversus extraneos, probabiliter rejicitur; nam prorsus alia est conditio filii ad bona paterna et Religiosi ad bona conventus; quia tamen bona conventualia in utilitatem cedunt Religiosorum, congruit ut quoddam temperamentum adhibeatur, ita ut v. g. per dimidium augeatur requisita materia. Caeterum, quantitas ad lethalem culpam requisita variabit pro statu monasterii divitis vel inopis, pro qualitate rei acceptae ac forte etiam pro numero sodalium (1).

71. II. Quod spectat ad obligationem agendi **vitam pauperem**, sicut neque in ipso usu superflui,

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 24; Vermeersch, Tom. 1, n. 268, 2.

pretiosi aut curiosi (1), ita nec in ejusdem transgressionis gravitate statuenda, talis vel talis quantitas assignari potest; unde generatim statuitur, quidquid in morali existimatione videtur vitae pauperi seu usui moderato *notabiliter* derogare, ut sumptuosus tenor vitae praesertim *habitualis*, graviter huic obligationi adversari (2).

72. III. Pro gravitate peccati illicitae **proprietatis** communiter admittitur principium, ad peccatum mortale tantam quantitatem requiri, quanta requiritur ad peccatum mortale in furto. Hujusque analogiae ratio affertur, quod proprietatis peccatum se habet ad instar furti; sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito Superiore, cui per votum paupertatis omnem rerum usum et dispositionem Religiosus subjecit; ast in hoc ipso principio explicando, viam diversam DD. ingressi sunt.

73. A. Nonnulli (3), quorum doctrina videtur saltem extrinsece probabilis (4), docent statutam normam ita intelligendam esse ut materiae quantitas sit *ex se sufficiens* ad furtum grave, seclusis pe-

(1) Cfr. superius dicta n. 59.

(2) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 265, 1.

(3) Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. 3, n. 171; Sanchez, *Opus Morale in Decalogum*, Lib. 7, Cap. 20, n. 5; Ballerini-Palmieri, Tom. 4, *De statu religioso*, n. 123; Genicot, Tom. 2, n. 98. — Cfr. etiam Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 15, Qu. 9 et Angelus a SS. Corde, Tom. 1, n. 275, qui idem tradentes principium, assignant tamen ut materiam gravem septem vel decem francos vel aliquanto plus.

(4) Cfr. Vermeersch, Tom. 2 (Ed. tertia), p. 98, a).

culiaribus circumstantiis personae adversus quam injustitia (si adest) committitur; quia, ut ajunt, quatenus negligitur debita dependentia a Superiobus, parum refert utrum res usurpata pertineat ad pauperem an ad divitem, ad monasterium inops an ad opulentum; sumenda est igitur quantitas quae est in materia injuriae **absolute** gravis. Ad hanc autem requirunt diversi AA. respective summam *viginti*, vel *viginti quinque* ad *triginta*, vel *triginta*, vel *quadraginta* francorum (1).

74. B. Communis sententia tenet normam **relativam** pro peccato furti assignatam, constituere quantitatem peccati proprietatis; quod tamen diversimode explicatur. Etenim: *a*) Plures (2) ex eo deducunt ad graviter laedendum votum sufficere valorem *duorum* francorum, quae quantitas vero, si attenditur ingens mutatio quae in valorem pecuniae facta est, nostris temporibus certe *duplicari* debet (3). *b*) Praeplacet tamen doctrina (4), quae similitudinem furti et peccati contra votum in hoc reponit, quod ambae, justitia et paupertas, respiciunt proprietatem sed *modo contrario;* prior ut

(1) Cfr. Genicot, Tom. 1, n. 507, 5°.

(2) Inter alios Marchant, Cap. 7, Text. 1, Tit. 2, Qu. 1, *Dubium* 4, pag. 428; Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 6, § 22, n. 25; et Bernardinus Van Ghendt (Gandavensis), *Uytleggingh op den Reghel der Minder-Broeders,* Cap. 6, n. 44.

(3) Ut recte notatur in nov. ed. Kazenberger, Cap. 7, Qu. 1, *Secundus casus reservatus.*

(4) Vermeersch, Tom. 1, n. 265, 2, b; et Tom. 2, pag. 99, Art. 2; cui consentit Victorius ab Appeltern, *Compendium Praelectionum Juris regularis,* pag. 180, Qu. 170; item Nov. ed. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 285, 5°.

quis eam alteri servet, posterior ut eam a se abjiciat; a. v. votum prohibet, non *alterius damnum* sed *proprium lucrum;* unde gravitas aestimanda est ex conditione **acquirentis,** in qua scilicet ex sua professione versatur, et sic peccatum proprietatis est mortale si quantitas illicite acquisita est gravis relate ad eum *qui acquisivit.* Conditio autem Religiosi generatim statuenda videtur honesti sacerdotis, quare comparate ad illum erit accipienda materiae gravitas (1). Jam si honestus sacerdos aequiparari potest homini mediocris fortunae, cujus damnum grave AA. constituunt *septem* vel *decem* francos (2), eandem quantitatem a Religioso puto requiri et sufficere ad grave peccatum proprietatis; nisi forte in Ordine Seraphico, qui disciplinam paupertatis profitetur austeriorem, aliquanto minor quantitas sumenda sit.

75. Tandem nota praedictas normas intelligendas de iis solis actionibus, quae **perfectum** usum et dispositionem rei temporalis continent; nam secus *latiori* mensura dijudicandae sunt, scilicet: quo *imperfectior* est actus dominii, eo *major* quantitas pro gravi materia requiritur; *usus* enim, re manente intacta, certe tanti non aestimatur quanti rei *consumptio,* et sic major materia ad grave peccatum requiritur in mutuo quam in donatione, item major in donatione confratri praesertim ejusdem conventus quam extraneo facta, item major in permutatione et sic de caeteris.

---

(1) Cfr. Vermeersch, ll. cc.

(2) Cfr. Genicot, Tom. 1, n. 507, 4°.

76. *Leves* culpae in ratione sacrilegii generatim non coalescunt ad constituendam culpam gravem. Coalescunt vero quando pluries modica consulto accipiuntur, *cum animo* perveniendi ad materiam gravem; vel quando successive, etiam absque tali intentione, congregata per parvas acceptationes gravis valor *retinetur* (1).

CAPUT IV.

DE VOTO CASTITATIS.

77. Regula Fratrum Minorum unico tantum verbo agit de voto castitatis dicendo, Capite primo: « REGULA ET VITA MINORUM FRATRUM HAEC EST,... SANCTUM EVANGELIUM OBSERVARE, VIVENDO IN OBEDIENTIA, SINE PROPRIO, ET IN CASTITATE ».

78. Per votum castitatis Religiosus renuntiat quibuslibet venereis delectationibus, tum quae jure naturali et divino jam prohibentur, tum quae in legitimo matrimonio licite fieri possent. Unde vi hujus voti obligatur: *a*) abstinere ab omnibus actibus prohibitis in et per *sextum* et *nonum praeceptum* Decalogi; seu ab omni peccato impudicitiae, non tantum *externo,* sive consummato sive inconsummato, ut a turpi locutione, aspectu, tactu et similibus cum aliis utriusque sexus personis et secum ipso, sed etiam a peccato *interno,* ut a turpi cogitatione, delectatione morosa, desiderio,

(1) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 267; Kazenberger, Cap. 1, Qu. 3, *Infertur.*

gaudio, consensu etc.; *b*) abstinere a *matrimonio* contrahendo et ab usu matrimonii jam contracti. Hanc esse hujus voti extensionem, et speciatim includi actus internos, patet praecipue ex universali ejusdem intellectu, cui voventes se conformare debent (1).

79. Hinc sequitur non latius patere objectum **virtutis** ac **voti** castitatis; in hac ergo materia, secus ac in materia obedientiae et paupertatis (2), fieri nequit ut laedatur virtus quin laedatur et votum (3). Itaque Religiosus qui poneret actus luxuriosos, sive externos sive internos, semper duplicis peccati reus esset; nam praeter reatum contra castitatem semper committeret et sacrilegium, *mortale* in iis actibus in quibus malitia libidinis esset mortalis, *veniale* vero in quibus illa, ob imperfectionem advertentiae aut consensus, vel quia esset indirecte voluntaria, venialis tantum esset.

80. **Effectus peculiaris** castitatis voto solemni affixus est duplex, nempe: *a*) solvit *ante-*

---

(1) Cfr. Genicot, Tom. 2, n. 99, I.

(2) Cfr. superius dicta n. 31 et n. 43.

(3) Contrarium fortasse contendi posset, *votum* nempe se latius extendere quam *virtus* castitatis; si scilicet asserere velis cum Genicot, l. c., contra *solam religionem* delinquere qui, voto castitatis emisso, uteretur matrimonio legitime contracto, vel matrimonium contraheret; quamquam in hoc posteriori casu praesumendum erit jam adesse peccatum internum *virtuti* contrarium, ratione propositi matrimonium consummandi, atque vix abesse potest peccatum ratione periculi cui se exponit.

cedens matrimonium ratum non consummatum, ita ut altera pars ad alias nuptias transire possit; *b*) matrimonium *subsequens* reddit *invalidum*, dum econtra simpliciter professus illicite quidem, tamen *valide* matrimonium contraheret (1).

81. In **Ordine Seraphico** votum castitatis non ad majora obligat quam in aliis Religionibus. Tenentur quidem Minores ad castitatem fulgentissimam, utpote quae non tantum maculas vitat sed etiam maculae *umbram* et *suspicionem;* ast castitas eis praescripta est sublimior, non ex voto, sed ex praeceptis Regulae Capitis undecimi, quibus obligantur vitare ea quae *suspicionem* mali producere possunt (2).

---

(1) Excipe vota simplicia in Societate Jesu emissa, quae ex speciali Sedis Apostolicae dispositione matrimonium contrahendum dirimunt (Cfr. dicta superius n. 17).

(2) Cfr. Elbel-Bierbaum, *Theologia Moralis*, Tom. 2, Part. 7, n. 330; Kerckhove, *In Reg.* Cap. 11, n. 2 sq.; Cfr. etiam inferius dicenda, Part. 2, Cap. 11.

PARS POSTERIOR.

DE PRAECEPTIS REGULAE ORD. FRATRUM MINORUM.

CAPUT PRAEVIUM.

DE REGULAE PRAECEPTIS IN UNIVERSUM.

82. In Regula Fratrum Minorum, praeter tria vota substantialia, **dari praecepta** sub *mortali* peccato obligantia, in confesso est apud omnes et caeteroquin aperte declaravit Clemens V (1). Quaenam autem in Regula ut vera praecepta proponantur, partim ex *verbis S. Legislatoris*, partim ex communi totius *Ordinis persuasione*, partim ex *declarationibus Rom. Pontificum* sat liquido dignosci potest. Numerus vero eorundem praeceptorum, cum pluribus EE. (2) ad viginti quatuor, reliquis in iis inclusis, reduci potest (3).

(1) *Exivi*, Art. 2.

(2) Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 1, § 1.

(3) Plures AA. statuunt praecepta 25, primo loco adducentes obedientiam Rom. Pontifici debitam (cfr. inferius dicenda n. 92). Alii 28 praecepta numerantes, inter habentia

83. **Distinguuntur** haec viginti quatuor praecepta quadruplicis speciei, juxta modum quo in Regula proponuntur; ex declarationibus enim Nicolai III et Clementis V, omne quod «*praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus* (1)» praecipitur, item quod «*obtinet vim praecepti* (2)» sub gravi Fratres obligat; quibus Pontificum principiis inhaerentes, distinguunt EE. sex praecepta formalia et duo inhibitoria, quae simul sumpta *eminentia* vocantur, quatuor habentia vim praecepti seu *virtualia*, ac duodecim aequipollentia praeceptis.

84. Praecepta **formalia**, sic dicta ex eorundem expressa praecipiendi forma, S. Legislator proponit his verbis: «*praecipio firmiter*», «*per obedientiam injungo*». Sunt autem:

1) quod Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant *(Praecipio firmiter Fratribus universis ut* etc. Cap. IV);

---

vim praecepti addunt duas obligationes distinctas ex iis quae Regulae Cap. primo et octavo referuntur, de obedientia quam Fratres *teneantur* praestare Successori S. Francisci et Ministro generali; et tertiam de jejunio ad quod in feriis sextis *teneantur*. Tandem alii tria vota substantialia praeceptis adnumerant; et praeceptum aequipollens quo comprehenduntur omnia quae ex Regulae Cap. secundo, ad formam habitus et ad modum receptionis et professionis pertinent, in novem praecepta dividunt, ita ut 39 praecepta ponunt; imo et addunt 40um de non eundo inter Saracenos sine licentia et de non mittendo nisi idoneos (Cfr. Hier. a Politio, Cap. 1, n. 16; Bern. Gandavensis, *Voor-reden*, n. 19).

(1) *Exiit*, Art. 1, n. 3.

(2) *Exivi*, Art. 3, n. 2 in fine.

2) quod Fratres obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare (*Firmiter praecipio eis ut* etc. Cap. X);

3) quod Fratres non habeant suspecta consortia vel consilia mulierum (*Praecipio firmiter Fratribus universis ne* etc. Cap. XI);

4) quod non ingrediantur monasteria Monacharum (Ibidem);

5) quod non fiant compatres virorum vel mulierum (Ibidem);

6) quod Ministri petant unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis (*Per obedientiam injungo Ministris ut* etc. Cap. XII).

85. Quaenam sint praecepta gravia **inhibitoria**, i. e. quorum forma constat ex absoluta universalique negatione, habetur ex communi *Ordinis intellectu;* qui, nitens contextui in quo in Regula ponuntur, semper ut talia agnoscebat duo sequentia, quae cum praeceptis formalibus substantialia et fundamentalia Regulae capita praescribunt, scilicet:

1) quod nullo modo licebit eis de ista Religione exire (Cap. II);

2) quod Fratres nihil sibi approprient (Cap. VI).

86. Ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum « *teneantur* » obtinet vim praecepti, prout ex *Ordinis traditione* Clemens V (1) declaravit; unde ut **habentia vim praecepti** seu, quia participant vim et virtutem praecedentium, praecepta *virtualia* dicta, enumerantur:

(1) *Exivi*, l. c.

1) quod pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres ut recurratur ad solos Ministros provinciales, *teneantur* ad eos recurrere (Cap. VII);

2) quod universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis *teneantur* semper habere Generalem Ministrum (Cap. VIII);

3) quod Ministri provinciales *teneantur* semper insimul convenire in Capitulo, ubicumque a Generali Ministro fuerit constitutum (Ibidem);

4) quod si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum provincialium et Custodum praedictum Ministrum non esse sufficientem, *teneantur* alium sibi eligere (Ibidem).

87. Tandem, ut haec quae videri possunt **aequipollentia praeceptis** seu quae aliis praeceptis aequivalent, sub compendio habeantur, laudatus Pontifex (1) statuit tamquam obligatoria servanda esse sequentia:

1) quod Fratres servent omnia quae ponuntur in Regula ad formam habitus tam novitiorum quam etiam professorum, nec non et ad modum receptionis, ac professionem spectantia (Cap. II);

2) quod servent illud quod ponitur in Regula *de non habendo plures tunicas quam unam cum caputio et aliam sine caputio* (Ibidem);

3) quod servent illud quod ponitur in Regula *de non portandis calceamentis* (Ibidem);

4) quod *Fratres vilibus induantur* (Ibidem);

5) quod *Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae* (Cap. III);

(1) *Exivi*, Art. 3, n. 2.

6) quod Fratres *jejunare a festo omnium Sanctorum usque ad Natale Domini et in sextis feriis teneantur* (Ibidem);

7) quod servent illud quod ponitur in Regula *de non equitando extra casum necessitatis* (Ibidem);

8) quod *Ministri et Custodes pro necessitatibus infirmorum et Fratribus induendis sollicite curam gerant* (Cap. IV);

9) quod *si quis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debeant ei servire* (Cap. VI);

10) quod *Fratres non praedicent in episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum* (Cap. IX);

11) quod *nullus audeat penitus populo praedicare, nisi a Generali Ministro.... fuerit examinatus, approbatus et ad hoc institutus* (Ibidem);

12) quod *Fratres qui cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, debeant et possint ad suos Ministros recurrere* (Cap. X).

88. Possunt Praelati tum majores cum locales haec Regulae praecepta non solum *interpretari*, seu declarare ea in casu particulari non obligare, quod et potest quilibet ubi necessitas urget; sed possunt etiam sub certis conditionibus in quibusdam **dispensare**. Nimirum Superiores in aliquo *casu particulari*, cum *personis individuis* tantum, ex *justa causa*, dispensare possunt in iis praeceptis in quibus ex eorum natura non colligitur restricta auctoritas, et quae caeterum non concernunt substantiam Religionis aut bonum commune Ordinis, sed solum Fratrum *peculiarem* ne-

cessitatem; v. g. quod possunt habere plures tunicas, portare calceamenta, equitare, non recitare Officium, non jejunare etc.; ita EE. communiter. Quoad praeceptum de non recipienda pecunia, quod plures AA. cum D. Bonaventura (1) putant indispensabile ab Ordinis Praelatis, cum aliis EE (2) distinguendum inter pecuniae receptionem proprie dictam, quae includit quoddam *jus* vel *dominium*, ac inter ejusdem receptionem quatenus accipitur pro mera tractatione seu *simplici usu facti;* prior enim, utpote *substantiae* Ordinis Fratrum Minorum contraria, nequit a Superioribus per dispensationem relaxari; in posteriori vero, cum non sit substantiale paupertati Seraphicae, Superiores in casu particulari dispensare possunt.

89. Dispensatio obtenta regulariter non diutius valet quam ejusdem causa perdurat, quia intentio Superioris esse debet ut cessante causa, cesset dispensatio; requiritur tamen ut causa *totaliter* et *certo* cessaverit, quia possidet dispensatio. Perseverante autem causa, dispensatio non expirat morte vel amotione ab officio dispensantis, nisi pro tempore sui muneris tantum dispensaverit (3).

90. Tandem, si quaeratur cujusnam speciei sit peccatum transgressionis praeceptorum Regu-

---

(1) S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 12, *Conclusio,* docet Superiores dispensare non posse in iis praeceptis in quibus ponitur *expresse praecipiendi verbum.*

(2) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 1, § 15, n. 8 sqq.

(3) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 1, n. 190 sq.; Kerckhove, *In Reg.* Cap. 10, n. 16.

lae, dicendum: Regula se habet *ad instar legis*, quare illius obligatio ex propria ratione legis et ex principiis ejus colligenda est; unde violatio cujusque Regulae praecepti accipit speciem a virtute ad quam spectat res praecepta; ita omissio praecepti de jejunio adversatur temperantiae, religioni vero negligentia in divino Officio, et sic de caeteris (1).

CAPUT I.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT VITA MINORUM FRATRUM.

Textus Regulae. Regula et vita minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae; et alii Fratres teneantur fratri Francisco, et ejus successoribus obedire.

91. **Argumentum.** Hoc primum Capitulum non est nisi quidam prologus Regulae, tria ipsius fundamenta continens, nimirum: *S. Evangelii* observantiam, Ordinis ad *Ecclesiam* firmissimam cohaesionem et omnium Fratrum ad suum *universale caput* subjectionem (2). S. Franciscus enim, postquam stabilivit Fratres teneri ad consilia evangelica per observantiam trium votorum substan-

(1) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 230.
(2) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 1, n. 2 sqq.

tialium religionis, profitetur omnimodam subjectionem Papae et Ecclesiae, ac annotat totius Ordinis obedientiam sibi et suis successoribus praestandam; quae tamen inter specialia alia Regulae obligatoria computanda non videntur.

Corollarium. De obedientia erga Rom. Pontificem et Ordinis Ministrum generalem.

92. I. A. Ex promissione, quam Inclytus Ordinis Fundator in ipsa Regula emisit dicendo: « FRATER FRANCISCUS PROMITTIT OBEDIENTIAM ET REVERENTIAM DOMINO PAPAE ..... ET ECCLESIAE ROMANAE », nonnulli EE. (1) eruunt distinctum et speciale Regulae **praeceptum**, illudque inter praecepta formalia adnumerant; sed neque verba Regulae, neque declarationes Rom. Pontificum indigitare videntur tale *speciale praeceptum* cunctos Fratres adstringens.

93. B. Communiter EE. (2), nitentes doctrinae Doctoris Seraphici (3), sentiunt hanc promissionem esse **votum** speciale, quod Fratres Minores, praeter tria vota substantialia, emittunt vovendo obedientiam s e c u n d u m R e g u l a m in qua illud votum expresse continetur.

---

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 1, Qu. 5; Laselve, *Exposition de la Règle des Frères Mineurs,* Cap. 1, pag. 54.

(2) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 1, n. 12; Marchant, Cap. 1, Text. 2, Qu. unica, pag. 45; Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 6, § 14, n. 1, Benedetto da Canicatti, *Dottrina Serafica o Regola de' Frati Minori,* § 23; Bern. Gandavensis, Cap. 1, n. 17 sqq. pluresque alii.

(3) S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 1, n. 11.

94. C. Magis tamen arridet doctrina, quae tenet (1) non fuisse S. Patri intentionem imponendi hujus voti obligationem singulis Fratribus, sed solummodo voluisse ad illud speciale votum obligare immediate semetipsum et eos qui ut **Ministri Generales** sibi succederent in regimine totius Ordinis; quae doctrina confirmatur textu anterioris Regulae, ab Innocentio III vivae vocis oraculo approbatae, cujus tenor ad cognoscendam S. Patris mentem multo valere videtur et in qua legitur: « *Frater Franciscus et quicumque fuerit caput istius Religionis promittit* » etc. (2); ac insuper concordat praxi qua soli Ministri Generales, et non caeteri Fratres, talem promissionem eliciunt (3).

95. Quidquid vero hac in re speculative dicatur, in praxi tamen Fratres Minores prae aliis tenentur ad obedientiam et reverentiam erga Papam et Ecclesiam; nam praeter communem obligationem omnium Christianorum obediendi Pontifici in iis quae sunt communis Ecclesiae status, et praeter commune debitum omnium Regularium illi obediendi in his quae sunt sui Ordinis et Religionis, Fratres Minores tenentur specialius seu ex **novo titulo** Papae obedire eumque revereri;

---

(1) Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 1, § 2.

(2) Cfr. *Opuscula S. P. Francisci* (Ed. nov. Quaracchi 1904), pag. 24.

(3) Siquidem Minister generalis noviter electus, in juramento coram Praeside Capituli emittendo, dicit: « *Ego,..... promitto, voveo et juro Sanctitati Domini nostri N. Papae N. et ejus successoribus canonice intrantibus obedientiam et reverentiam* ». (Cfr. *Rituale Romano-Seraphicum* (Romae 1895), pag. 124).

quia S. Franciscus, cupiens ut suus Ordo speciali modo unitus et subjectus Apostolicae Sedi, semper stabilis in fide catholica persisteret (1), omnimodam obedientiam erga Papam injungit Ministro Generali cui, ut in sequenti textu enuntiat, omnes Fratres obedire tenentur; ex qua firma unione consequeretur ut totus Ordo Sedi Apostolicae unitus et subjectus permaneret (2).

96. Debetur ergo Papae et Ecclesiae non tantum **obedientia** sed et **reverentia.** Vi *prioris* obtemperandum est mandatis et decretis ab Ecclesiae summa auctoritate emanantibus; *reverentiam* violat qui verba injuriosa de Papa profert, ejus dignitatem dehonestat, vel auctoritatem in dubium revocat, ipsius actus contemnit vel in derisionem vertit, etc. (3).

97. Ex praedictis colligitur, Fratres Minores agentes contra decreta pontificia etiamsi sub culpa obligantia, aut cum irreverentia etiam gravi de Rom. Pontifice vel Ecclesia tractantes, non committere peccatum **distinctum** ab illo, cujus reatum contrahunt caeteri Religiosi ac Christiani Summi Pontificis mandatis inobedientes; iis tamen incumbit obligatio generalis *firmioris* subjectionis filialis, ac *majoris* affectus reverentiae erga Papam et Ecclesiam; quo ultimo nomine h. l. intelliguntur Cardinales qui Sede vacante eam regunt, Concilia oecumenica, ac Congregationes quae

(1) Cfr. Regulae Cap. ultimo.
(2) Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 1, § 2.
(3) Vide *Constitutiones Generales,* n. 12 sq. et n. 333 sq.

pro universa Ecclesia vel pro solis Regularibus leges condunt (1).

98. II. Praescriptum Regulae: « ET ALII FRATRES TENEANTUR FRATRI FRANCISCO ET EJUS SUCCESSORIBUS OBEDIRE », juxta quosdam innuit omnes Fratres teneri parere Ministro Generali in iis quae spectant totius Ordinis subjectionem Rom. Pontifici et Ecclesiae (2). Communiter tamen tenent EE. S. Patrem per citata verba, **indigitare** praeceptum quod in Capite octavo per verba: « ET EI (Generali Ministro) TENEANTUR FIRMITER OBEDIRE » repetitur; hoc autem jam continetur in praecepto formali Capitis decimi, quod praescribit obedientiam cunctis Superioribus praestandam et cum ipso obedientiae voto coincidit (3).

CAPUT II.

DE IIS QUI VOLUNT VITAM ISTAM ACCIPERE ET QUALITER RECIPI DEBEANT.

Textus Regulae. Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare; et uxores non habent, vel si habent, et jam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate dioecesani Episcopi, voto continentiae jam emisso, et il-

(1) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 329 sq.
(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 12, n. 1.
(3) Cfr. inferius dicenda n. 220 et n. 234.

lius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii: quod vadant et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare: quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres et eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum et bracas, et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper et Regulam observare; et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, juxta mandatum domini Papae: quia secundum sanctum Evangelium: Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est Regno Dei. Et illi qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur: et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei: quos moneo et exhortor ne despiciant neque judicent homines quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum.

99. **Argumentum.** Postquam S. Franciscus, in Capite primo, solida sui Ordinis fundamenta posuit, jam statim agit de modo quo hanc vitam amplectentes recipi, et quo vestiri debeant. Quinque autem gravia praecepta in hoc secundo Capitulo inveniuntur, scilicet: 1) sub uno praecepto comprehenduntur plura tum modum receptio-

nis, tum professionem, tum vestiarium Fratrum spectantia; 2) inhibetur de Ordine exire; 3) indicantur vestimenta Fratribus licita et praescripta; 4) prohibentur calceamenta; 5) praecipitur ut vestimenta sint vilia. Ulterius enumerantur duae libertates: *a*) gestandi praeter tunicam exteriorem seu habitum, et alteram tunicam interiorem; *b*) repetiandi vestimenta de saccis et aliis petiis (1). Denique habetur admonitio non despiciendi, nec judicandi homines qui, in vestibus et cibis, religionis rigoribus non subjiciuntur; sed potius, oculos ad proprios defectus convertendo, despiciendi semetipsum.

Praeceptum I. — *De iis quae spectant ad modum receptionis, ad professionem et ad formam habitus.*

Quod Fratres servent omnia quae ponuntur in Regula ad formam habitus tam novitiorum quam etiam professorum nec non et ad modum receptionis, ac professionem spectantia. Est aequipollens praeceptis.

100. Haec Clementis V verba respiciunt hoc Regulae Caput secundum, in quo variae or-

(1) Regula concedit quidem Fratribus suas vestes repetiare cum saccis et petiis quibuscumque, et hoc vel ex paupertatis amore, vel ex humilitatis studio, vel ob cogentem necessitatem; attamen in repetiatione semper prudenter agendum, ut scilicet monstruosae repetiationis deformitas evitetur; unde haec libertas per Superiores restringi potest et debet, si quis petia diversi coloris et absonae formae tunicis vel pallio assuit, sive habitum tam deformiter repetiatum vel tam sordidum gestat ut vel risum vel nauseam excitare valeat.

dinationes traduntur relate ad eos qui Ordinem profiteri cupiunt etc.; unde omnia quae h. l. quoad receptionem, professionem et habitum praescribuntur, sub gravi peccato servanda sunt; exceptis, ut ait ipse Clemens V (1), iis quae dicuntur de *habitu novitiorum*, quem Regula quidem ordinat ejusque formam designat, tamen in iis plenam potestatem penes Ministros relinquit, prout eis secundum Deum videatur. Quare hoc **generale praeceptum** intelligitur secundum partes suas, quae sunt: 1) receptio novitiorum per solos Ministros; 2) conditiones requisitae in recipiendis; 3) dispositio de eorundem bonis temporalibus; 4) novitiorum libertas in dispositione bonorum; 5) professio post annum novitiatus; 6) habitus professorum. Ad singulas partes quaedam annotanda sunt.

101. I. Si qui voluerint Ordinem ingredi, Fratres mittant eos ad Ministros provinciales, quibus solis competit potestas eos recipiendi. Praescriptum mittendi postulantes ad **Ministros,** quod nonnulli EE. (2) existimant mere *consilium seu instructionem*, alii (3) putant verum *praeceptum positivum* quo Fratres sub peccato tenentur omnes candidatos idoneos mittere ad Ministros, alii (4) econtra habent ut *praeceptum negativum* ne Fratres postu-

(1) *Exivi*, Art. 3, n. 2 in fine.

(2) Quos citat Marchant, Cap. 2, Text. 1, Tit. 1, Qu. 1, pag. 77.

(3) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 2, n. 2; Alb. a Bulsano, § 15, n. 2.

(4) Cfr. Marchant, ibidem, *Conclusio* 2, pag. 78; Bern. Gandavensis, Cap. 2, n. 3.

lantem, modo non sit evidenter ineptus, *impediant* ab ingressu, uti jam jure divino prohibetur; qui enim ex quocumque humano motivo candidatum, alias idoneum, ab ingressu Religionis retrahit, graviter charitatem laedit, quoniam injuriam infert proximo quem a perfectiori statu retinet. Ex ipso vero contextu, praeceptum negativum probabilius videtur habendum hoc sensu (1), quod Fratres venientes ad Ordinem *non praesumant per se* recipere, cum hoc spectat ad solos Provinciales Ministros, quibus (non tamen excluso Generali Ministro cui eminenter tota potestas Provincialium velut digniori inest) haec potestas ex vi Regulae competit, dum caeteris Fratribus denegatur nisi eis specialiter committatur. Notandum autem quoad hanc potestatem recipiendi novitios, Rom. Pontifices varias ordinationes edidisse, quae adamussim observandae sunt.

102. II. Non recipiantur nisi quos constat, instituto etiam examine ubi dubium adest (2), corde, ore et opere fidem confiteri, et qui non habent uxorem cui consummato matrimonio ligati sunt; vel si habent uxorem, nisi haec monasterium intraverit vel saltem, si sit citra suspicionem incontinentiae, in saeculo votum castitatis emiserit et, consentiente Episcopo, marito licentiam ingrediendi dederit. Haec praescripta sub gravi observanda, novam obligationem non inducunt, cum Seraphicus Pater hoc Regulae textu nihil aliud intendisse videtur, quam quod jure

(1) Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 2, § 1.

(2) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 2, n. 4.

communi fuit statutum (1). Sub istis impedimentis, docente S. Bonaventura (2), omnia alia intelliguntur quae possent ineptitudinem ad ingressum Ordinis generare (3).

103. III. Ministri dicant eis ut omnia sua vendant ac pauperibus erogent. Controvertitur an hoc praescriptum cadat sub praecepto aequipollenti necne. Media via tenenda videtur distinguendo aliquid necessitatis *obligatorium*, et aliquid perfectionis *supererogatorium*. De necessitate praecipitur ut omnis qui Ordini adscribi desiderat, cunctis quae possidet omnimode valedicat, nihil omnino suae dispositioni sive directe sive indirecte retinens; hoc est enim necessaria conditio ad profitendum, siquidem exigitur ex ipso voto paupertatis, quod vovere sibi proponit (4); et hanc obligationem, eis qui rem ignorant, Ministri per se vel per alios, utpote per eos quibus incumbit juniorum Fratrum educatio, intimare debent. Supererogatorium et de consilio tantum est, ut bona sua non propinquis relinquant, sed pauperibus erogent (5).

---

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 1, § 1, n. 12.

(2) S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 2, n. 5.

(3) Vide *Constitutiones Generales,* n. 16 sqq.

(4) Textus Regulae indicat quidem renuntiationem bonorum faciendam esse ante habitus susceptionem, dicitur enim: « *Postea concedant eis pannos probationis* »; in jure novissimo vero cautum est illam fieri non posse, nisi infra duos menses ante professionem solemnem (Cfr. dicta supra, Part. 1, n. 36 sqq.).

(5) Cfr. Annotator nov. ed. Alb. a Bulsano, pag. 59, *In praxi;* Laselve, Cap. 2, pag. 60; Cfr. etiam Hier. a Politio, Cap. 2, n. 58 et Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 1, § 14, n. 5.

104. IV. Caveant Fratres et Ministri ne solliciti sint de eorum bonis temporalibus. Obligatio ne Fratres se immisceant dispositioni bonorum novitiorum sub peccato mortali obligat, nam Clemens V (1) expressis verbis declaravit: « *omnino debere tam Ministros quam Fratres caeteros ab inductionibus ad sibi dandum et suasionibus, necnon et a dandis circa distributionem consiliis abstinere* »; prohibetur ergo tum Superioribus tum subditis omnis sollicitudo, inductio, postulatio, omnisque actio, quovis nomine dicatur, quae aliquo modo possit **praejudicare libertati** novitii in disponendo de bonis suis. Quare Fratres in his, juxta qualitatem inductionis vel consilii quibus libertas novitii hac in re imminueretur, mortaliter peccare possunt; unde et *materiae quantitas* et *libertatis praejudicium* in similibus ponderanda sunt (2). Excipitur solus casus quo novitius *consilium petit*, tunc enim licet Ministris ex ipsa Regula, imo et caeteris Fratribus a quibus consilium petitur (3), eos mittere ad virum timoratum qui, ex declaratione Clementis V (4), sit *alterius status* et non Frater Ordinis nec, ut docent EE. (5), sit Fratrum consanguineus, vel Syndicus apostolicus, vel similis conditionis; ad hos

(1) *Exivi*, Art. 4, n. 2.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 1, Text. 6, Qu. 12 in fine, pag. 99.

(3) Cfr. Annotator nov. ed. Alb. a Bulsano, pag. 61, *Haec prohibitio.*

(4) *Exivi*, l. c.

(5) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 1, Text. 7, Qu. 15, pag. 103; Hier. a Politio, Cap. 2, n. 65.

enim, quia probabiliter sunt magis affecti ad Ordinem pro commodo ejus temporali, novitii plerumque mitti non possunt sine cupiditatis nota ex parte Fratrum. Licite vero possunt Fratres a professuris *libere oblata*, cum moderamine tamen, recipere (1); item professuro jam volenti eleemosynam dare conventui, necessitates conventus declarare, imo unam prae aliis suadere, etiamsi ad aliam jam esset inclinatus; similiter ei jam determinato ad danda aliqua bona pauperibus, sed indifferenti in quos elargiatur, possunt Fratres aliquas personas exteras vere pauperes ex charitate commendare, modo importunitas absit (2).

105. V. Post annum probationis recipiantur ad obedientiam. Ne aliquos Fratres interdum celeriter emissae professionis et vitae non plene exploratae postea poeniteret, S. Franciscus sub gravi peccato prohibet, quod Honorius III (3) Ordini nostro jam inhibuit, scilicet ne ante completum **annum novitiatus** professio emittatur (4); item prohibet ne post annum finitum pro-

---

(1) *Exivi*, Art. 4, n. 3.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 1, Text. 6, Qu. 13 sq. pag. 99. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 28.

(3) Bulla: *Cum secundum consilium*, 22 Septembris 1220 (*Bull. Franc.* Tom. 1, pag. 6).

(4) Hoc Regulae grave praeceptum non prohibet quin Fratres utantur privilegio a Pio V, 23 Augusti 1570, Monialibus S. Dominici concesso et vi communicationis privilegiorum etiam ad Ordinem nostrum extenso, quo conceditur ut novitius in articulo mortis constitutus, si legitimam habuerit aetatem, possit emittere professionem ante elapsum probationis annum. Verum haec professio solum operatur ut professus capax sit ad

fessio irrationabiliter producatur (1). Easdem ordinationes Conc. Trid. (2) praescripsit de jure communi; quo jure etiam cautum est, ut ad professionis validitatem annus probationis non moraliter tantum, sed *mathematice* debeat esse completus usque ad ultimam horam, computato etiam in anno bissextili die addito (3); elapso autem integro probationis anno, novitius si habilis sit ad professionem admittendus, si vero inhabilis ad saeculum dimittendus est; ob graves tamen causas ad prudens judicium Superiorum, professio absque dispensatione et periculo nullitatis aliquando differri potest (4).

106. VI. Fratres professi habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio qui voluerint habere. Hoc Regulae praescriptum, designans et ordinans Fratrum post professionem vestiarium, quatenus comprehenditur in hoc aequipollenti praecepto generali, servandi « *omnia quae ponuntur in Regula ad formam habitus tam noritiorum, quam etiam professorum .... spectantia* », videtur speciatim spectare

---

lucrandas indulgentias et gratias professis concessas; unde si convalescat, non censetur Religioni alligatus nisi, transacto probationis anno, denuo profiteatur (Cfr. Mocchegiani, Tom. 3, n. 932 sq.).

(1) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 2, Text. 9, Qu. 5, pag. 115; Ben. da Canicatti, Cap. 2, § 77.

(2) Conc. Trid. Sess. 25, *De Regularibus*, Cap. 15 sq.

(3) Ita communis sententia cum decretis Congregationum; cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 188.

(4) S. Congr. Ep. et Reg. 12 Januarii 1731 (Bizzarri, pag. 325).

ad Fratrum professorum vestimenti qualitatem seu formam; scilicet in quantum sub gravi peccato professis praescribitur **habitus cum caputio**, in oppositione ad novitios, quibus, nisi Ministris aliud secundum Deum videatur (1), caputium gestare non permittitur (2).

Praeceptum II. — *De recessu ab Ordine.*

QUOD NULLOMODO LICEBIT EIS DE ISTA RELIGIONE EXIRE. Est praeceptum eminens seu inhibitorium.

107. Hoc praecepto « JUXTA MANDATUM DOMINI PAPAE » Honorii III (3), cunctos Minoritanam Regulam professos vetatur sub gravi peccato **exitus de Ordine**; non tantum per recessum ad saeculum, animo jugum Religionis excutiendi seu per *apostasiam*, sed etiam prohibetur ne Fratres Minores absque dispensatione Apostolicae Sedis transeant ad aliam Religionem quamcumque, etiam strictiorem (4); qualis transitus antiquitus e pluribus Ordinibus, cum justa causa,

(1) Cfr. dicta superius n. 100.

(2) Idem enim praescriptum altera vice a Clémente V (*Exivi*, Art. 3, n. 2) enumeratur inter aequipollentia praeceptis et quidem ut praeceptum particulare « *de non habendo plures tunicas quam unam cum caputio et aliam sine caputio* », quod particulare praeceptum spectare videtur non ad qualitatem sed potius ad numerum habituum Fratrum; cfr. mox dicenda n. 109.

(3) Bulla: *Cum secundum consilium* (*Bull. Franc.* Tom. 1, pag. 6).

(4) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 2, n. 13 sq.

locum habere potuit de sola licentia Praelatorum Regularium (1).

108. Postquam autem Martinus V (2), prohibens ne Religiosi Ordinum mendicantium transeant ad alium Ordinem absque *Sedis Apostolicae* licentia prius obtenta, ab hac prohibitione transitum ad Ordinem Carthusiensem nominatim excepit, nonnulli docebant etiam Franciscanis, non obstante Regulae praecepto, jus esse ad **Cartusianos** transire, quin dispensatio apostolica impetranda sit. Quia vero non speciatim nominabantur, res manebat dubia (3). Ast, quidquid est de hisce sententiis, ex aliis postea emanatis decisionibus, communis DD. sententia docet constare ex disciplina Ecclesiae hodie vigente, nullos Regulares professos ad aliam Religionem etiam strictiorem, nisi de licentia Apostolica, transire posse (4).

Praeceptum III. — *De vestimentis.*

QUOD SERVENT ILLUD QUOD PONITUR IN REGULA DE NON HABENDO PLURES TUNICAS QUAM UNAM CUM CAPUTIO ET ALIAM SINE CAPUTIO. Est praeceptum aequipollens.

---

(1) Cfr. Bouix, *Tractatus de Jure Regularium*, Tom. 2, Part. 6, Sect. 4, Cap. 5, Qu. 1.

(2) Const. *Viam ambitiosae*, 29 Julii 1418 (*Bull. Franc.* Tom. 7, pag. 509).

(3) Cfr. Miranda, *Manuale*, Tom. 1, Qu. 31, Art. 11.

(4) Cfr. Ferraris, Verb. *Regulares*, Art. 1, n. 61; Annotator noviss. ed. S. Bonaventurae, Tom. 8, pag. 345, Nota 6; Ben. da Canicatti, Cap. 2, § 90; Vict. ab Appeltern, Qu. 114, pag. 121; Angelus a SS. Corde, Tom. 1, n. 52; Mocchegiani, Tom. 1, n. 169; aliique plures.

109. Ex hoc praecepto, in quo **vestiarium** Fratrum Minorum describitur (1), constat praecipuum eorum vestimentum esse *habitum exteriorem cum caputio*, quod potest esse habitui assutum vel non assutum, cum nihil hac de re in Regula praescribatur. Cum illo gestent Fratres *cingulum*, i. e. chordam, etenim S. Pater, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumpsit, et *braccas* etiam femoralia dictas, ceu tegumentum honestatis; haec quidem inter vestimenta professorum non enumerantur, cum supponantur ex praedictis dum de novitiorum vestitu dicebatur, quare professi sicut novitii illa portare possunt et debent, ut patet ex declaratione Innocentii XI (2); sunt enim necessaria et Fratres professi non minus honeste quam novitii debent incedere. Insuper Regula permittit illis qui eum habere voluerint, tunicam sive *habitum interiorem sine caputio*. Praeterea omni tempore possunt uti *mantello* sive pallio jam ab initio Religionis licito (3), qui inter tunicas non reputatur; quare illius usus nullo modo reprehendendus est etiamsi gestentur duae tunicae, ut docet fere unanimis consensus EE. (4). Nec stricte prohibetur gestare *galerum*, qui neque inter vestimenta computatur (5); etsi illius usus parum admodum congruere videtur menti S. Patris, eique obstare vigens in Ordine praxis communis contraria.

---

(1) Cfr. dicta supra in Nota: *Idem enim*, ad n. 106.
(2) Bulla: *Sollicitudo* (*Bull. Rom.* Tom. 11, pag. 272).
(3) Cfr. Ibidem.
(4) Cfr. Marchant, Cap. 2, Text. 11, Tit. 3, Qu. 4, pag. 125.
(5) Cfr. Ibidem, Qu. 6, pag. 129.

110. Utraque tunica sicut et caputium debent esse de **panno**, ut patet ex habitibus novitiorum qui *panni* probationis vocantur; frustra enim novitii in pannis probarentur si professi panno vestiri non deberent (1). Cinguli seu chordae materia in Regula non determinatur (2). Braccae, Regula pariter nihil determinante (3), possunt confici de lino vel quacumque materia. Quod autem spectat ad *formam*, *figuram* et *colorem* vestimentorum, nihil nec a Regula, nec a declarationibus Rom. Pontificum, nec a certa Ordinis traditione ab antiquo, tamquam obligatorium determinatur; quare in illis servanda sunt ea quae modo in Ordine approbata et praescripta sunt (4).

111. In his Regulae praescriptis habetur **duplex praeceptum**. Alterum *negativum*, prohibens ne gestetur quodcumque aliud vestimenti genus ultra praedicta quae Fratribus conceduntur; alterum *positivum*, adstringens Fratres professos ut vestimentis praescriptis induti sint.

112. I. Contra praeceptum **negativum**, peccant mortaliter: *a)* Fratres qui aut per longum tempus aut saepe, praeter duas tunicas gestant tunicam *tertiam* sive camiseam aut sudaria cujuscumque materiae, prout declaravit Urbanus VIII (5), qui

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 2, Qu. 4, *Infertur* 1.

(2) Praescribunt *Constitutiones Generales*, n. 111: « *Cingulum seu chorda sit ex lana* ».

(3) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 2, n. 11.

(4) Cfr. inferius dicenda n. 125.

(5) Bulla: *Sacrosanctum Apostolatus*, 1 Octobris 1625, § 2 (*Bull. Rom.* Tom. 4, pag. 99). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 102.

simul anteriores Constitutiones talia concedentes, ut Regulae contrarias abrogavit; *b)* eodem modo peccant qui, etiamsi cum una tunica, camiseam *lineam* vel *gossypiam*, sudarium etc. de *lino* gestant; usus lineorum sane etiam juri communi, illum generatim Regularibus interdicenti, adversatur (1); et quamvis haec juris ecclesiastici dispositio in pluribus Ordinibus per contrariam consuetudinem abrogatus fuerit, ipsum Regulae praeceptum quo *solus pannus* in tunicis est concessus, declarante Innocentio XI (2), omnino observandum est. Licet tamen loco tunicae interioris gestare subuculam laneam, item camiseam laneam quam vulgo: *flanelle* vocant, etc. cum in substantia non sint nisi tunica interior de panno, quam Regula permittit.

113. **Necessitatem** sufficientem ad pluritatem tunicarum vel ad utendum lineis ajunt EE. esse infirmitatem, debilitatem, senectutem Fratris aut acerbitatem frigoris, imo interdum necessariam honestatem (3). Ast notandum Innocentium XI (4) requirere, ut adsit *necessitas* excusans a praecepto per *Praelatum approbata;* unde non sufficit generaliter loquendo licentia sine necessitate, sed neque, ne relaxationibus ansa praebeatur, sufficit necessitas sine licentia.

114. Habere duos habitus quin simul gestentur, v. g. unum pro festis alterum pro

(1) Cap. *Cum ad monasterium. De statu Monach.*
(2) Bulla: *Sollicitudo* (*Bull. Rom.* Tom. 11, pag. 272).
(3) Cfr. Marchant, Cap. 2, Text. 11, Tit. 3, Qu. 3, pag. 122.
(4) Bulla cit. *Sollicitudo.*

ferialibus, unum gestandum in cubiculo alterum in publico, non videtur praecise *hoc praecepto*, stricto sensu, prohibitum esse (1). Advertendum vero, sicut et in caeteris ita et in vestimentis prohiberi **superfluitatem**, unde habere seposita vestimenta mutatoria ultra necessaria, adversatur *voto paupertatis*. Porro, cum necessitas hac in re intelligatur ' a c c o m m o d a, circa alterum habitum sicut et circa tunicam secundam vel etiam tertiam pro opportuna et necessaria mutatione, atque circa tunicam ut vocant aestivalem distinctam ab hiemali, notandum est Nicolaum III declarasse ea omnia quae Fratrum vestimenta concernunt, judicio Praelatorum remittenda esse, « *cum etiam in ipsa Regula dicatur expresse, quod Ministri et Custodes.... de Fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones* » (2). Quare nec Regulae adversatur, si Superiores permittant ut Fratres indigentes, v. g. ratione magni aestus, eodem tempore duas tunicas in cella habeant, quas ad exsiccandos copiosos sudores pro libitu mutare possint. In omnibus vero praedictis, semper standum est consuetudini Provinciae et judicio Praelatorum.

115. II. Quoad praeceptum **positivum** semper gestandi habitum religiosum, quod de jure communi

(1) Cfr. Kerckhove, *In Reg.* Cap. 2, n. 49 sq.; *Breve commento sopra la Regola dei Frati Minori* (Ed. 3ª, Quaracchi 1904), pag. 81; Alb. a Bulsano, § 30, n. 4. Cfr. etiam *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 22 (1903), pag. 146.

(2) *Exiit*, Art. 14.

cunctos Regulares obligat (1), praenotandum aliud esse habitu se *spoliare*, quod etiam dimissio materialis dicitur, aliud habitum *dimittere* seu formalis dimissio. *Exspoliatio* sibi vult sese privare ad tempus habitu eo quod sit impedimentum praesenti necessitati; habitus *dimissio* econtra vestium mutationem importat, adeoque transitum a veste proprii Ordinis ad vestem quae sibi non competit (2).

116. A. Sese **spoliare** habitu, certe licitum est propter infirmitatem, vel propter ea quae spectant munditiam, vel ob aliam justam causam; imo dormientes sine habitu, dempto contemptu et scandalo, non peccant, nequidem venialiter (3).

117. B. **Dimissio** habitus est peccatum mortale ex genere suo, praesertim si quis habitum deponeret *temere*, i. e. ne cognosceretur ut alumnus Ordinis, hinc sumens occasionem liberius vagandi; quo casu certe mortaliter peccaret, qui dimitteret habitum per notabile tempus, i. e. per integrum diem naturalem (4), quamvis alii putent jam sufficere duas vel tres horas (5). Veniale esset, si fieret ad breve tempus absque pravo animo,

(1) Cap. *Ut periculosa.* 2, *Ne clerici vel Monachi,* in 6.

(2) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 335.

(3) Cfr. Ferraris, Verb. *Habitus,* n. 22; Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 336. — Praescribunt tamen *Constitutiones Generales,* n. 123: « *Fratres sine habitu vel saltem sine tunica, femoralibus et chorda non dormiant, nisi aegrae valitudinis causa de Superiorum venia* ».

(4) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 2, n. 99; Angelus a SS. Corde, Tom. 1, n. 363.

(5) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 11, n. 18.

aut si fieret ad jocandum, vel tantum ex parte ita ut Religiosus ceu talis jam posset dignosci; aut si, servato integro habitu, saeculares vestes superindueret (1). Licita vero est habitus dimissio, ut quis tutus per loca infidelium transire possit, etc.

Praeceptum IV. — *De calceamentis.*

QUOD SERVENT ILLUD QUOD PONITUR IN REGULA DE NON PORTANDIS CALCEAMENTIS. Aequipollet praeceptis.

118. Ex textu Regulae, qui non omnibus calceamenta concedit sed illis tantum qui necessitate ad ea portanda coguntur, recte infertur praeceptum reliquis Fratribus calceamentorum usum prohibens (2). Quod praeceptum explicans, Innocentius XI (3) sic loquitur: « *ad incedendum sine calceamentis, hoc est absque aliquo quod pedem cooperit, cujusque illud materiae sit, nisi adsit vera necessitas a Praelato adprobanda obligantur* »; idem statuit Urbanus VIII (4) dicens: « *neque alio pedum operimento sive panneo sive alterius cujuscumque materiae existat, absque expressa licentia uti possint* »; patet ergo omne calceamenti genus quod **totum pedem** cooperit, extra casum cogentis necessitatis a Regula prohiberi.

119. Hisce praemissis, eruitur: A. **Mortaliter** peccant Fratres qui consueta pedum ope-

(1) Cfr. Aertnys, Tom. 1, Lib. 5, n. 30.
(2) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 2, n. 16.
(3) Bulla: *Sollicitudo* (*Bull. Rom.* Tom. 11, pag. 272).
(4) Bulla: *Sacrosanctum* (Ibidem, Tom. 4, pag. 99).

rimenta exteriora, puta *calceos*, *ocreas*, *crepidas*, etc. portant; non tantum si sint de corio, sed etiamsi ex alia quacumque materia confecta sint, cum haec omnia veniant sub propria significatione calceamentorum (1).

120. B. *Caligae* seu tibialia et *socci* sive pannei, sive lanei, sive gossypii, etc., cum etiam totum pedem cooperiant et ambiant, prohibentur; dicitur enim in citatis (2) declarationibus: « *absque aliquo quod pedem cooperit* », « *neque alio pedum operimento* »; quia tamen pedum operimenti exterioris usum non habent, nec proinde stricto calceamentorum nomine veniunt, eorum usus **veniale** peccatum non excedit; unde pro illis non requiritur tam gravis necessitas qualis requiritur **pro calceamentis** (3).

121. C. *Caligae truncatae* ut vocant, quae scilicet non pedes, sed crura tantum operiunt a poplite usque ad genua, jam a primo Ordinis saeculo a nonnullis usitatae (4), juxta communiorem EE.; *sandalia*, quum pedes non tegunt sed tantummodo eorum plantis subjiciuntur, juxta omnes, **nullo modo** prohibita sunt (5).

122. Ut quis *mortaliter* peccet, requiritur ut portet calceamenta per **notabile tempus**; per unum aut alterum diem calceari non excedit ve-

---

(1) Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 22 (1903), pag. 177.

(2) Cfr. superius n. 118.

(3) Cfr. Kazenberger, Cap. 2, Qu. 4, *Respondeo* 2, *Infertur*.

(4) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 3, Text. 12, Qu. 9, pag. 137.

(5) Vide *Constitutiones Generales*, n. 112.

niale, cum non possit proprie usus dici: quare rationabilis causa certe sufficit ut quis licite, v. g. crepidas portet per aliquot horas, puta ad pedes exsiccandos, vel calefaciendos, vel restaurandos post iter (1).

123. Ad licitum calceamentorum usum, ex ipsa Regula requiritur cogens **necessitas**, ut quando spirituale vel temporale timetur dispendium; non ergo c o m m u n e illud incommodum dispensat quod o m n e s ordinarie ob frigus aut ob humiditatem sentiunt, si calceamenta non portant. Necessitas autem quae, docente Innocentio XI (2), sit a Praelato adprobanda, dijudicanda venit ex conditione *personae*, si sit infirma vel debilis; vel ex circumstantiis *loci*, si sit nive vel luto repletus vel spinis consitus; *temporis*, si adsit frigus insolitum; *itineris*, si sit longum ita ut sine detrimento nudis pedibus perfici nequeat, etc. (3).

Praeceptum V. — *De vestimentorum vilitate.*

Quod Fratres vilibus induantur. Enumeratur inter aequipollentia praeceptis.

124. S. Franciscus, sollicitus ut etiam in vestimentis Fratrum paupertas et asperitas semper reluceant, sub gravi praecepit ut omnes Fratres, tum superiores tum subditi, nonnisi **vili vestiario** uterentur; quod praeceptum, ex declaratione Cle-

(1) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 3, Text. 12, Qu. 11, pag. 139.

(2) Bulla: *Sollicitudo* (*Bull. Rom.* Tom. 11, pag. 272).

(3) Cfr. Marchant, Cap. 2, Tit. 3, Text. 12, Qu. 12, pag. 140; Alb. a Bulsano, § 31, n. 3.

mentis V (1), non solum ad *exteriorem* habitum sed etiam ad *interiores* tunicas extendi debet. Peccat igitur Frater Minor, pro quantitate et qualitate materiae, qui pannis induitur pretiosis, etiamsi pretiosi sint longioris durationis (2).

125. Vilitatis **judicium** laudatus Pontifex (3) Ministris et Guardianis duxit committendum, quorum judicium Fratres subditi humiliter sequantur. Curent tamen Superiores ut omnia circa vilitatem et qualitatem panni, atque colorem et formam vestium aequalia sint (4), conformiter ad praescriptum Leonis XIII (5): « *Vestitum cultumque eadem omnes forma induunto* » (6).

CAPUT III.

DE DIVINO OFFICIO, ET JEJUNIO; ET QUOMODO FRATRES DEBEANT IRE PER MUNDUM.

Textus Regulae. Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae excepto Psal-

(1) *Exivi,* Art. 5, n. 2.

(2) Cfr. Kazenberger, Cap. 2, Qu. 4, *Respondeo* 3, *Infertur.*

(3) *Exivi,* l. c.

(4) Vide *Constitutiones Generales,* n. 106 sqq.

(5) Bulla: *Felicitate* (*Acta Ord.* Tom. 16 (1897), pag. 164).

(6) Cum pauperes Fratres Minores, omni mundana vanitate contempta, cum vestimento vili et nudis pedibus per vicos et civitates incedere debeant, summo cum zelo munditiem et nitorem prosequi satagant, ne saecularium horrorem et nauseam excitent; ex altera vero parte cavere debent ne in vestiario et praesertim in usu soccorum et calceamentorum *nimis* indulgeant impiorum admirationi, ac societatis modernae exigentiis.

terio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino; pro Laude quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum, septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem, et orent pro defunctis. Et jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sint adstricti: sed aliam usque ad resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria jejunare. Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare.

126. **Argumentum.** Ordinato ad Religionem ingressu, et Minoritico vestiario statuto, S. Legislator Regulam prosequitur, particularia officia suorum Fratrum stabiliendo; ac jam in hoc tertio Regulae Capitulo imponit tria praecepta sub mortali peccato obligantia, nempe: 1) agit de divino Officio tam Clericorum quam Laicorum; 2) enumerat jejunia a Fratribus observanda; 3) prohibet equitationem. Ulterius in hoc Capite traduntur tres admonitiones, scilicet: *a*) ut Fratres euntes per mundum, non litigent nec alios judi-

cent; *b*) ut sint mites, pacifici, modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus; *c*) ut aliquam domum intrantes dicant: Pax huic domui. Denique duae conceduntur libertates: *a*) jejunandi vel non, prout volunt, per quadragesimam quae incipit ab Epiphania; *b*) manducandi, nisi pro illa die ad jejunium vel abstinentiam obligantur, de omnibus cibis qui apponuntur eis.

Praeceptum I. — *De divino Officio.*

Quod Clerici faciant divinum Officium secundum Ordinem sanctae Romanae Ecclesiae (et Laici dicant septuaginta sex Pater noster). Est aequipollens praeceptis.

127. S. P. Franciscus, orationi addictissimus, ejusdem exercitium etiam a filiis suis poposcit, imo hoc praecepto eis certam **normam** laudandi Deum praescripsit. Clericis praecipit ut recitent « divinum Officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae, excepto psalterio »; adoptavit scilicet S. Pater Officium Capellae Rom. Pontificis, substituendo tamen psalterium Gallicanum Romano psalterio (1); qui modus dicendi horas, Ordine Minorum propagante, per totum orbem mox diffusus est (2); hoc praescriptum hodiedum adimpletur dicendo Officium prout modo in nostro Breviario Romano-Seraphico continetur (3). Laicis

(1) Cfr. Claessens, *Tractatus de Rubricis Missalis Romano-Seraphici et de Rubricis Breviarii Romano-Seraphici* (Galopiae 1907), Part. 2, n. 45.

(2) Plura hac de re videri possunt apud Bäumer, *Geschichte des Breviers* (Freiburg 1895), pag. 318.

(3) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 2, § 2, n. 5.

autem, cum generatim litterati non sint, injungitur ut Deum collaudent recitando certum numerum Orationum dominicarum seu *Pater noster*.

128. Omnes et singuli Fratres Clerici **solemniter** professi, etiamsi non sint in sacris constituti, obligantur sub peccato mortali ad divini Officii recitationem saltem **privatam**. Eadem obligatio, ex communissima DD. sententia (1), eis incumbit ex *jure Canonico*, non quidem scripto, sed ex consuetudine quae censetur vim legis obligantis habere (2); quo jure omnes utriusque sexus Regulares stricte dicti et ad chorum destinati, post vota solemnia, sub gravi tenentur ad divini Officii recitationem privatam, quando choro non interfuerint.

129. Num vero vi *Regulae* etiam teneantur ad recitationem **choralem**, cum pluribus AA., aliis pluribus aliter sentientibus (3), omnino negandum videtur, quia nec Regula nec Rom. Pontificum in Regulam declarationes de choro habendo loquuntur. Certe tamen ad chorum tenentur ex *jure SS. Canonum* (4), quod omnibus Regularibus ad chorum destinatis illud injunxit. Haec obligatio est gravis, non quidem pro singulis Religiosis, sed pro *communitate;* quare graviter peccat Supe-

---

(1) Cfr. Ferraris, Verb. *Officium divinum*, Art. 1, n. 37; Mocchegiani, Tom. 2, n. 1, III.

(2) Hujus consuetudinis vis obligatoria firmatur ex S. Poenit. 26 Novembris 1852, collato S. Congr. Ep. et Reg. 19 Aprilis 1844 (quorum tenorem videsis apud Vermeersch, Tom. 2, pag. 411, n. 98 et pag. 410, n. 96).

(3) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 346, 3.

(4) Clement. *Gravi*, 1, *De celebratione Missarum*.

rior tanquam caput communitatis si, negligentia sua, pars notabilis divini Officii in choro non recitatur; Superiore autem suo muneri deficiente, choralis recitationis cura spectat ad subditos etiam *simpliciter* tantum professos (1); imo singuli Religiosi graviter peccare possunt non assistendo choro, si scilicet eorum praesentia necessaria sit ad chorum habendum. Paucitas vero Religiosorum excusat communitatem a choro; ideo nisi adsint ad minus quatuor Religiosi ad chorum obligati et quidem expediti, i. e. non infirmi nec legitime occupati, non est obligatio chori (2).

130. Professi votorum **simplicium**, ne in Ordine Seraphico quidem, ad *privatam* recitationem obligantur (3), etiamsi absque causa a choro abfuerint (4). Ad recitationem *choralem* tenentur eodem modo ac solemniter professi (5); unde hac ratione, si non contra Regulam, certo contra SS. Canones graviter delinquere possunt.

131. Obligatio divini Officii praeter quotidianum pensum, quod constat septem Horis canoni-

(1) Cfr. dicenda n. seq.

(2) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 143.

(3) S. Congr. super statu Reg. 6 Augusti 1858 et S. Congr. Ep. et Reg. 24 Martii 1882 (Cfr. *Nouv. Revue Théol.* Tom. 14 (1882), pag. 238). Legitur tamen in *Incitamentis Seraphicis* (apud *Acta Ord.* Tom. 5 (1886), pag. 187 in Nota: « *enixe obsecramus et in Domino adhortamur, ut ex amore Regulae, quam post breve temporis spatium solemniter profiteri intendunt, officium etiam extra chorum recitare velint* ».

(4) Cfr. S. Congr. Ep. et Reg. 28 Julii 1902, III (*Nouv. Rev. Théol.* Tom. 34 (1902), pag. 535).

(5) Cfr. S. Congr. Ep. et Reg. 24 Martii 1882, cit. n. pr.

cis, nempe: Matutino cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis et Completorio, complectitur: *a*) in recitatione tum privata, tum chorali: Officium Defunctorum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum (1), necnon Litanias Sanctorum (2) in die S. Marci ac triduo Rogationum; quapropter, ubi solemnis supplicatio, i. e. processio non habetur, Litaniae etiam *chorali*ter recitandae sunt (3); censentur enim pars divini Officii, hoc autem integrum in choro obligat; *b*) in sola chorali recitatione, statutis diebus, saltem Officium Parvum Beatae Mariae Virginis, si consuetudo illud celebrandi tempore Pii V (anno 1568) existebat; an vero etiam alia officia addititia seu Officium Defunctorum, excepto die animarum, ac Psalmi Graduales et Poenitentiales adhuc sub peccato obligent, non una est AA. sententia (4).

---

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 161, Qu. 2.

(2) Litaniae, ab iis qui Breviario Romano-Seraphico utuntur, recitari *debent* prout pro Nostratibus ex indulto Apostolico rite sunt dispositae (S. Congr. Rit. 12 Martii 1836, ad 8; *Coll. noviss.* n. 2740).

(3) Vermeersch, Tom. 1, n. 314, 3, b); cfr. etiam *Caeremoniale Romano-Seraphicum Ordinis Fratrum Minorum* (Quaracchi 1908), n. 181.

(4) Cfr. Ballerini-Palmieri, Tom. 4, *De horis canonicis*, n. 216; Lehmkuhl, Tom. 2, n. 622; Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 354; Claessens, Tom. 2, n. 239 sqq. — Praeterea ex praescripto *Constitutionem Generalium*, n. 159, statis diebus, juxta Rubricas peculiares nostri Breviarii, quatuor Officia generalia et unum Generalissimum Defunctorum in choro recitanda sunt, quod tamen praescriptum *non est sub peccato* (Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 33).

132. Recitandi divini Officii obligatio ex genere suo **gravis** est; ita ut adsit peccatum mortale, non solum si omittatur totius diei Officium, sed etiam si *notabilis* ejusdem pars, i. e. ex communi DD. sensu, quae aequivalet Horae parvae moraliter integrae; quae pars etiam coalescere potest ex diversis ejusdem divini Officii omissionibus; at materia gravis non sunt Vesperae in Sabbato Sancto (1). Quod spectat ad Litanias Sanctorum, etsi concedenda sit obligatio eas recitandi (2), non desunt AA. etiam ex recentioribus (3), qui contra communem DD. non improbabile habent illas sub *levi* tantum obligare.

133. **Tempus** pro impletione praecepti est *dies naturalis;* singulis enim diebus obligatio affixa est et cum die exspirat, ita ut ad vitandum peccatum *mortale* sufficiat ut totum Officium recitetur a media nocte usque ad alteram mediam noctem, addita etiam facultate anticipandi pridie Matutinum cum Laudibus (4). Singularum horarum temporis determinatio est, ut dicantur Matutinum et Laudes aut pridie aut tempore Matutino, Prima et Tertia tempore antimeridiano,

---

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 147.

(2) Cfr. S. Congr. Rit. 4 Augusti 1877 (*Coll. noviss.* n. 3428).

(3) Cfr. Ballerini-Palmieri, Tom. 4, *De horis canonicis,* n. 382; Genicot, Tom. 2, n. 50, V.

(4) Officium Defunctorum, die 2 Novembris, non solum privatim sed etiam in choro, pridie anticipari potest; nullo autem modo, anticipari possunt Litaniae Omnium Sanctorum (S. Congr. Rit. 9 Julii 1895 et 28 Martii 1775. *Coll. noviss.* n. 3864 et 2503). De Officiis addititiis cfr. Claessens, l. c. et *Caeremoniale Romano-Seraphicum,* n. 179 sq.

Sexta et Nona pro libitu ante vel post meridiem, Vesperae et Completorium tempore pomeridiano; Vesperae tamen tempore quadragesimali, tribus primis diebus et Dominicis exceptis, ante refectionem dici possunt in recitatione privata, et recitari debent in choro. Haec Horarum temporis determinatio non videtur ad praecepti *substantiam* pertinere, neque, ex probabiliore, in chorali quidem recitatione (1), sed est quaedam *caeremonia accidentalis;* quare eam non servare *veniale* tantum est peccatum; imo nullum si fiat ex causa rationabili, qualis certe sufficit periculum superventurae occupationis, major devotio, tempus aptius ad studendum; non vero sufficit sola major commoditas sine alio motivo honesto (2).

134. Quod spectat ad tempus quo Matutinum cum Laudibus **anticipari** potest, notanda: *a*) in recitatione privata, certum est anticipationem semper licitam esse ab hora qua sol medium tenet inter meridiem et occasum (3); praeterea plures et graves AA. (4) probabilem docent sententiam, saltem ex causa rationabili, etiam absque speciali S. Sedis privilegio, Matutinum quolibet anni tempore inchoari posse hora *secunda* pomeridiana; *b*) quoad recitationem choralem, consuetudo ecclesiastica est ut Matutinum dicatur

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 4, n. 171.

(2) Cfr. Ibidem, n. 173.

(3) S. Congr. Rit. 16 Martii 1876 (*Coll. noviss.* 3391).

(4) Cfr. Ballerini Palmieri, Tom. 4, *De horis canonicis*, n. 240 sqq.; Mocchegiani, Tom. 2, n. 16 sqq. Cfr. etiam S. Congr. Rit. 12 Maji 1905 (*Acta Ord.* Tom. 24 (1905), pag. 244).

media nocte vel mane, non vero vespere praecedenti, quibusdam diebus de jure, vel vi indulti, vel ex consuetudine exceptis; potest tamen Praelatus ex justa causa semel et iterum (seu ad tempus) dispensare (1); apud Fratres Minores autem Matutinum in choro « *ex consuetudine Ordinis* » semper anticipari potest (2).

135. **Modus** dicendi Officium est ut recitatio sit: *a*) *vocalis;* requiritur ut Officium voce sensibili proferatur, quin tamen solus legens seipsum audire oporteat; qui in choro vel cum socio recitat, satisfacit suam partem verbis proferendo, alteram partem audiendo. *b*) Debet esse *integra*, sine verborum et syllabarum mutilatione vel corruptione, omnia et singula rite pronuntiando; quare advertendum ne in choro ita festinetur ut, nondum expletis ab altera parte versiculis, altera suos incipiat; quae si fiant in notabili quantitate, peccatum *grave* committitur, nisi pars non integre recitata iteretur; secus *veniale* tantum erit peccatum, neque repetendi obligatio inducitur; imo *nullum* peccatum committit, qui hoc facit ob inadvertentiam vel balbutiem. *c*) Sit etiam *continuata;* interruptio scilicet notabilis in unius Horae recitatione non caret culpa veniali, nunquam tamen ad mortalem pertingit; nullum peccatum adest si interruptio vel non est longior vel fit ex causa honesta. *d*) Tandem recitatio sit *de-*

(1) Cfr. Victorius ab Appeltern, pag. 216 sq. *Nota* 3.

(2) Cfr. *Caeremoniale Romano-Seraphicum,* n. 155. — Cfr. etiam S. Congr. Ep. et Reg. 15 Martii 1898 (*Acta Ord.* Tom. 17 (1898), pag. 122).

vota, quare certe requiritur: α) ut Officium recitetur cum intentione colendi Deum, quam semper implicite habet qui sumit de more Breviarium ut Officium impleatur; et β) cum attentione saltem externa, quae sita est in absentia omnis negotii externi, quod necessario internam attentionem graviter impediat; quod spectat ad attentionem internam, ex sane probabili contra communiorem sententia, qui voluntarie distrahitur satisfacit substantiali obligationi; attamen voluntaria distractio in recitatione divini Officii, sicut in qualibet oratione, est peccatum veniale (1).

136. Eodem Regulae praecepto quo Fratres Clerici obligantur ad Officium canonicum, Fratribus Laicis imponitur ut « DICANT VIGINTI QUATUOR PATER NOSTER PRO MATUTINO; PRO LAUDE QUINQUE; PRO PRIMA, TERTIA, SEXTA, NONA, PRO QUALIBET ISTARUM, SEPTEM, PRO VESPERIS AUTEM DUODECIM, PRO COMPLETORIO SEPTEM ». Laicos ad has *septuaginta sex* Orationes dominicas sub *gravi* peccato obligari, omnes consentiunt; verum quidem est, Clementem V orationes a Laicis dicendas non inter praecepta enumerasse, sed videtur totum quod hic in Regula legitur, ut unum praeceptum tum Clericos tum Laicos afficiens considerasse; de caetero, haec persuasio semper in toto Ordine viguit et consuetudo pro obligatione stetit, ut ex antiquissimis Regulae EE. ostenditur; insuper, ad omne dubium tollendum, ita *auctoritate apostolica* declaravit P. Franciscus

(1) S. Alphonsus, Lib. 4, n. 162 sqq. et 175 sqq.

ab Angelis, Minister Generalis (1). Ex consuetudine (Regula enim hoc nullo modo praecipit), in pluribus Provinciis Laici singulis suis Pater addunt *Ave Maria*, ex pietate erga Virginem Deiparam; quae tamen consuetudo juxta communiorem et solidiorem non est obligatoria (2).

137. Quaenam omissio in officio Laicorum sit peccatum **mortale**, AA. non conveniunt. Sententia docens (3) graviter peccare Laicum omittentem unam Horam minorem seu septem Pater noster, eandem ob rationem ac Clericus omittens Horam minorem mortaliter peccat, utpote nimis rigida admitti nequit (4); neque admittitur ad grave peccatum sufficere, prout, nullum fundamentum afferrentes, tenent alii (5), si omittuntur octo vel decem Pater noster; vere probabiliter autem cum aliis (6) dicendum, materiam gravem constituere omissionem tot Orationum dominicarum, quot dici possunt tempore quo Clericus parvam Horam Officii canonici absolvit, v. g. *viginti* circiter Pater noster.

138. Eodem modo ac Clerici, etiam Laici tenentur in recitatione Officii observare **tempus** ab Ecclesia praescriptum. Sic ad vitandum peccatum mortale sufficit, si sua Pater noster re-

(1) In quadam sua epistola ad partes Hispaniae missa anno 1523 (Cfr. Marchant, Cap. 3, Text. 2, Tit. 2, Qu. 1, pag. 169).

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 41, n. 2.

(3) Cfr. Kazenberger, Cap. 3, Qu. 2, *Infertur* 1.

(4) Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 3, § 3, pag. 76.

(5) Cfr. Alb. a Bulsano, § 41, n. 1; Victorius ab Appeltern, Qu. 222, pag. 227.

(6) Cfr. Nov. ed. Piat. Montensis, Tom. 1, pag. 697, *Addenda et corrigenda*, ad *Pag. 334.*

citent ab una media nocte ad alteram; praeterquam quod undetriginta Pater noster pro Matutino et Laudibus anticipare valeant. Possunt etiam alternatim inter se ad modum chori, injunctas sibi orationes persolvere et ita eas successive dividere, ut unus primam partem dicat et alter alteram (1); ac, ex sententia probabilissima, ab onere Officii liberi sunt etiam Laici *simpliciter* professi (2). Horum omnium ratio est, quia eaedem pro eis ac pro Clericis valent rationes; subrogatum enim sapit naturam ejus cui subrogatur.

139. Laicis insuper imposita est obligatio orandi **pro defunctis**; sed cum in Regula nihil hac in re specificetur, hoc praeceptum certe non obligat sub mortali et quaelibet oratio sufficit ad illud implendum; sententia quorundam EE. hoc onus *quotidie* Laicis incumbere, communiter rejicitur (3). Neque sub peccato tenentur ad dicenda centum Pater et Ave, quae in pluribus Provinciis, die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, Laicis praescribuntur.

Praeceptum II. — *De jejunio.*

QUOD FRATRES JEJUNARE A FESTO OMNIUM SANCTORUM USQUE AD NATALE DOMINI (SANCTAM QUADRAGESIMAM RESURRECTIONIS), ET IN SEXTIS FERIIS TENEANTUR. Est praeceptum aequipollens.

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, l. c.

(2) Cfr. Annotator nov. edit. Alb. a Bulsano, pag. 140, *Laici;* Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 362; Victorius ab Appeltern, Qu. 222, pag. 227.

(3) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 361, Ad II.

140. Fratres Minores **jejunare** debent per utramque Quadragesimam in Regula allatam, scilicet: *a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini*, utroque festo, nisi in Feria sexta venerit, excluso, et per *Quadragesimam antè Pascha;* ita tamen ut diebus Dominicis ad jejunium non teneantur, sed tantum ad abstinentiam; quia nec Ecclesia in ulla Dominica ad jejunium adstringit. Quadragesimam post Epiphaniam consulitur ut jejunent, non tamen tenentur sub peccato jejunare. Aliis autem temporibus, intellige, ut declaravit Clemens V (1): « *praeterquam in jejuniis ab Ecclesia institutis* », non tenentur jejunare nisi singulis *sextis Feriis* (2).

141. Quaestio movetur an **senes**, post aetatis annum sexagesimum inchoatum, jejunio a Regula observando teneantur. A jejuniis quidem *ecclesiasticis* Theologorum communiór doctrina, a Pio V approbata (3), illos excusat; sed eos neque *Regulae* jejuniis teneri, contra plures, solide probabile judicant plures alii (4); nam etiamsi forte aliqui sint robusti et validi, tamen ex communi defectu aetatis supponuntur impotentes et infirmi; nam senectus ipsa habetur ut morbus, morbus autem certe excusat ab omni jejunio.

(1) *Exivi*, Art. 6.

(2) Praescribunt *Constitutiones Generales*, n. 174: « *Praeter jejunia ab Ecclesia et Regula praescripta, etiam Vigilia S. P. N. Francisci ab omnibus jejunio et abstinentia consecretur* ».

(3) Cfr. Sporer-Bierbaum, Tom. 1, Tract. 3, n. 593.

(4) Cfr. Ballerini-Palmieri, Tom. 2, *De jejunio*, n. 82; Sporer-Bierbaum, l. c. n. 594; Cornelisse, Tom. 1, n. 486; Kazenberger, Cap. 3, Qu. 3, *Infertur* 9.

142. Altera quaestio est de **juvenibus** ante aetatis annum vicesimum primum completum. Certo et absolute a jejunio *ecclesiastico* eximuntur, ut docent omnes Theologi; ratio est quia juvenes tunc sunt in via augmenti et crescentis corporis, ideo frequentiori et abundantiori alimento indigent; quapropter Ecclesia, pia mater, indulsit ut non obligarentur praecepto Ecclesiae (1). Ast, quamvis eaedem rationes eos a jejuniis *Regulae* excusare videantur, tamen AA. fere omnes ad haec jejunia illos obligari docent; quia tamen communiter admittitur, praecepta regularia obligare *ad instar legum ecclesiasticarum* et jejunia in nostra Regula praescripta non sunt *vota* sed *praecepta* (2), doctrina quorundam AA. (3) juvenes tertio septennio minores etiam a jejuniis Regulae excusans, videtur vere probabilis et tuta atque sine timore excipienda.

143. Lex ecclesiastica de jejunio **duo praecepta** in se continet, quia praescribit tum abstinentiam a *secunda refectione*, tum abstinentiam a *cibis prohibitis;* et quia S. Franciscus circa hanc duplicem abstinentiam, specialem normam non praescripsit, jure infertur Fratres, etiam in jejuniis ex praecepto Regulae servandis, Ecclesiae consuetudinem sequi posse et debere (4).

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 3, n. 1035.

(2) Cfr. superius dicta, Part. 1, n. 12.

(3) Cfr. Tamburini, *Expeditae Decalogi explicationes*, Lib. 4, Cap. 5, § 7, n. 6; Cornelisse, l. c.; aliique quos citat Sanchez, *Tractatus de jejunio*, Disp. 54, n. 2; item *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 243.

(4) Cfr. Alb. a Bulsano, § 44.

144. A. Imprimis lex jejunii prohibet ne plus quam **una** corporis **refectio** plena et sufficiens singulis diebus sumatur, cujus refectionis hora est circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Praeterea, ex usu antiquo, vespere permittitur *collatio* aliqua seu coenula, pro qua receptum est sumi posse octo uncias (1) ciborum; quae quantitas justa de causa paululum augeri potest, praesertim in regionibus nostris septentrionalibus ob coeli frigus et consuetudinem plus aliis manducandi (2). Insuper nemini jam interdici potest mane sumptio parvi *frustuli*, ut ajunt, cujus quantitas rerum nutrientium duas uncias non excedat (3).

145. B. Abstinentia a **cibis vetitis** generatim complectitur prohibitionem esus *carnium* et eorum quae de substantia carnis participant ut jusculum, laridum, adeps etc.; ac insuper omnibus diebus Quadragesimae, Dominicis non exceptis, complectitur prohibitionem *ovorum et lacticiniorum*, puta: lac, caseum, butyrum (4). Nihilominus, pro modo in jejunio observando, tum vigens disciplina ecclesiastica juxta consuetudinem locorum, tum indulta peculiaria ab Apostolica Sede concessa, consideranda sunt. Quia vero pro diversis jejuniis variant consuetudines, diversaque dantur indulta, etiam modus jejunandi in singulis jejuniis est omnino diversus.

---

(1) Uncia aequivalet 31 gr. 25 cgr.

(2) Cfr. Cornelisse, Tom. 1, n. 481.

(3) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 3, nn. 1004, 1016 et 1024 sqq.; Lehmkuhl, Tom. 1, n. 1211.

(4) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 3, n. 1005 sqq.

146. I. Jejunia e solo praecepto **ecclesiastico** obligantia, puta in Quatuor Temporibus aestatis et autumni ac in quibusdam Vigiliis. Ad illa certe tenentur Fratres Minores (1), sed non rigorosius quam caeteri fideles; ergo, omnibus consentientibus, solummodo post vicesimum primum aetatis annum completum atque in iisdem, ut reliqui fideles, indultis circa observantiam ciborum uti possunt (2).

147. II. Jejunium quadragesimale **ante Resurrectionem** Domini. Nonnulli EE. (3) docent hoc jejunium ecclesiasticum in Regula solummodo commemorari sine novo praecepto; rationem afferunt, quia Clemens V (4), jejunia ex aequipollenti praecepto obligantia declarans, jejunium Paschale non expressit, imo et loquitur (5) de duobus temporibus (quadragesimalibus) «*annotatis in Regula*», in qua enuntiatione non dicit: «*praescriptis*» sed simpliciter: «*annotatis*»; in hac negantium sententia, uti patet, juvenes tertio septennio minores ad hoc jejunium certe non adstringuntur.

148. Alii vero, cum D. Bonaventura (6), docent Minores ad jejunium Resurrectionis non solum vi

---

(1) Cfr. dicta superius n. 140.

(2) Cfr. S. Congr. S. Officii, 20 Decembris 1871; et 7 Septembris 1906 (*Acta Ord.* Tom. 11 (1892), pag. 38; et Tom. 25 (1906), pag. 331, 6°).

(3) Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 217.

(4) *Exivi*, Art. 3, n. 2.

(5) Ibidem, Art. 6.

(6) S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 3, n. 7; Cfr. Hier. a Politio, Cap. 3, n. 49 sqq.

legis ecclesiasticae, sed etiam ex **praecepto Regulae** teneri; in qua sententia notandum foret, quod in hac Quadragesima, in qua prohibentur non tantum carnes sed etiam ova et lacticinia (1), si dispensatur a lege *ecclesiastica*, non ideo a *praecepto Regulae* dispensatum esse censeri potest (2). Attamen, sicuti in jejuniis ecclesiasticis per annum ita etiam tempore hujus Quadragesimae Regulares, speciali voto abstinentiae a carnibus non adstricti ergo et Fratres Minores, ex speciali S. Congregationis S. Officii declaratione (3), gaudent indulto circa observantiam ciborum ab Ordinariis locorum, auctoritate S. Sedis, pro fidelibus promulgato.

149. III. Jejunium a festo **Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini,** seu Quadragesima Adventus, ut vocant. Quoad hoc jejunium, notandum est, illud ad instar Quadragesimae ante Pascha cum abstinentia etiam ab *ovis et lacticiniis* servari debere (4). Ut autem nunc sunt tempora, ad subveniendum Fratrum infirmitati, S. Sedes pro hac Quadragesima quolibet anno con-

---

(1) Cfr. superius dicta n. 145.

(2) Cfr. S. Congr. S. Officii, 1 Maji 1907 (*Acta Ord.* Tom. 26 (1907), pag. 237.

(3) Cfr. S. Congr. S. Officii, cit. superius n. 146.

(4) Cfr. quae modo dicta sunt n. 145 et n. 148. — Infra hoc jejunium, Fratres Minores, absque peculiari concessione sibimetipsis facta, frui non possunt indulto, pluribus in locis Christifidelibus concesso, dispensante a lege abstinentiae Sabbatinae; quod eruitur ex decreto S. Congr. S. Officii, de quo inferius n. 151.

cedere solet indultum speciale circa observantiam ciborum (1).

150. IV. Jejunium in singulis **sextis Feriis.** Hoc jejunium minime omittendum est si festum Nativitatis Domini in Feriam sextam incidat, uti habetur ex Ordinis traditione sicut ex communissima AA. doctrina; S. Pater enim, in statuendo jejunio a suis sequacibus observando, hunc diem solemnem equidem in Regulis Secundi et Tertii Ordinis (2), non vero pro Primo Ordine exemit. Quia autem lex jejunii imponit tum unicam integram refectionem, tum abstinentiam ab esu carnium, Fratres, etiam Christi solemniis natalitiis in die Veneris occurrentibus, ista duo observare debent; quare nobis non favet canon ecclesiasticus (3) qui fidelibus facultatem tribuit, hac Feria sexta solemni, carnes comedendi; in ipso enim canone illi excipiuntur qui voto vel regulari observantia ad *jejunium* sunt adstricti.

151. Huic canoni conforme est decretum S. Congregationis S. Officii (4), declarans quod si S. Sedes interdum, **peculiari indulto,** concedit omnibus Christifidelibus usum carnium in aliqua Feria *sexta,* etiam addita clausula: « *Regularibus comprehen-*

---

(1) Hujusmodi indulta referunt *Acta Ord.* Tom. 2 (1883), pag. 156 et Tom. 26 (1907), pag. 316.

(2) Cfr. *Regula S. Clarae,* Cap. 3 et *Regula Tertii Ordinis,* Cap. 5 (*Seraph. Legisl. textus originales,* pag. 56 et 83).

(3) Cap. *Explicari,* 3. *De observantia jejuniorum.*

(4) S. Congr. S. Officii, 18 Novembris 1891 (Hujus decreti tenorem ejusque Brevem explicationem videsis apud *Acta Ord.* Tom. 11 (1892), pag. 36).

sis», tamen Franciscales tali indulto frui non posse. Ratio est, quia in Feriis sextis non tantum ad abstinentiam, sed ad *jejunium* tenentur; jam vero praefatum indultum circa *jejunium* non versatur, nullamque specialem dispensationem *jejunantibus* concedit (1).

152. Eandem ob causam, cit. decretum intelligi debet de illis tantum diebus Veneris, in quibus soli Fratres Minores ex praecepto Regulae jejunare debent, non autem de aliis sextis Feriis in quibus omnes Christifideles ex Ecclesiae mandato, *jejunio* obstricti sunt; in istis enim diebus Ecclesia, speciali indulto, omnibus permittit ut non obstante lege *jejunii* carnibus vesci possint; ergo etiam Franciscani hujusmodi indultis libere frui possunt, sicuti fruuntur indultis pro communi Quadragesima concedi solitis, etiamsi desit clausula: «*Regularibus comprehensis*».

153. Quare, eadem enim videtur esse ratio, etsi Regulares non nominantur, Fratres Minores quoque frui possunt etiam in Feriis sextis per annum, indultis ab Ordinariis, auctoritate S. Sedis promulgatis, quibus per aliquod temporis spatium suspensa declaratur obligatio *jejunii* nec non abstinentiae a carnibus, uti v. g. quandoque factum est *publicae valitudinis* causa seu occasione *epidemiae* (2).

154. Haud dubie, nisi alicubi consuetudo contrariam praxim introduxerit, in omnibus Feriis sextis

(1) Cfr. dicta superius n. 149, Nota: *Infra hoc jejunium.*

(2) Cfr. S. Congr. S. Officii, 20 Januarii 1892 (*Acta Ord.* Tom. 11 (1892), pag. 34 et 38).

extra utramque Quadragesimam nobis licitus est usus **ovorum** et **lacticiniorum**; communiter enim docent DD. (1) extra Quadragesimam jure communi non vetari lacticinia et ova, nisi eis in locis ubi eadem non comedendi viget consuetudo (2).

155. Quae hucusque (3) dicta sunt de cibis vetitis vel permissis, respiciunt tantum comestionem principalem. Quod vero spectat ad **collationem** vespertinam, in quocumque jejunio sive ecclesiastico sive regulari, applicentur normae generales de qualitate ciborum, circa quam varii varie sentiunt AA. Cum autem refectiuncula non sit ab Ecclesia instituta, sed tantum privata auctoritate paulatim introducta et tandem a S. Sede *tolerata*, eo modo sumi debet, quo fuit in singulis regionibus introducta et a timoratis recepta (4).

156. Hodie jam in multis regionibus invaluit usus, ut quivis cibi *quadragesimales* in collatiuncula sumi queant. Imo, quamvis cibi solo indulto permissi generatim in collatione adhiberi nequeant, ut constat ex Clemente XIII (5), nihilominus etiam in his attendendum ad **consuetudines** contrarias. Sic in Belgio et in multis aliis regionibus jejunantes solent in refectiuncula adhibere quaecumque *lacticinia;* in Germania et qui-

---

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 3, n. 1009.

(2) Cfr. Mocchegiani, Tom. 2, n. 77 sq.

(3) A n. 146 ad n. 154.

(4) Cfr. Ferraris, Verb. *Jejunium*, Art. 1, n. 43.

(5) Litt. Encycl.: *Appetente sacro*, 20 Decembris 1759, § 2 (*Bull. Rom. Continuatio*, Ed. Pratensis, Tom. 4, pag. 295).

busdam partibus Americae, nec non in plerisque partibus Hollandiae, etiam *ova;* itaque cujuscumque regionis consuetudo consideretur (1).

157. Notandum denique, illis qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, vel ratione affectae valetudinis a lege jejunii seu unicae comestionis eximuntur, omnia quae e solo indulto in refectione permittantur, **pluries** in die licita esse; nisi contrarium pro non jejunantibus expresse statuatur. Quapropter in *Dominicis* infra utramque Quadragesimam, cum in iis non jejunetur, cuilibet licet etiam *pluries* carnibus vesci, quando hisce diebus ex indulto permittuntur (2).

158. In assignanda quantitate requisita ad **lethalem** culpam in laesione tum abstinentiae, tum jejunii, multum differunt AA. *a)* Quod spectat ad *carnem proprie dictam*, probabile est non committi peccatum grave nisi sumantur duae unciae. *b)* Si vero manducantur ea quae *a carne proveniunt*, vel *ova*, vel *lacticinia*, probabiliter quid amplius admitti potest, cum haec minus principaliter prohibeantur, ita ut quantitas trium unciarum requiratur ad materiam gravem. *c)* In cibis autem *esurialibus* permulti AA. tenent gravem materiam haberi si praeter refectionem, coenulam et frustulum, eodem die sumatur quantitas quatuor

---

(1) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 1212; Genicot, Tom. 1, n. 437, II, 2°.

(2) Cfr. *Nouv. Rev. Théol.* Tom. 14 (1882), pag. 251; Lehmkuhl, Tom. 1, n. 1220, 3.

unciarum (1); concedunt tamen AA. fere impossibile videri illam quantitatem mathematice definire.

159. Tradunt quidam EE. (2) ad excusationem a jejunio *regulari* majorem requiri necessitatem, quam requiritur ut quis in jejuniis *ecclesiasticis* jejunare non teneatur; quia, ut putant isti, ipsa Regula requirit expresse *necessitatem manifestam*. Ast contra eos dicendum hoc in Regula minime haberi, sed S. Legislatorem, postquam jejunia a Fratribus observanda statuit, per verba: « Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali », solummodo indigitare se ad jejunium non adstringere eos qui jejunare non valent, quin ullo modo definiat manifestam necessitatem esse *unicam* causam excusationis a jejunio; quare cum aliis (3) tenendum easdem causas quae a jejuniis Ecclesiae excusant, ad excusandum pariter a jejuniis Regulae sufficere.

Praeceptum III. — *De prohibitione equitandi.*

Quod servent illud quod ponitur in Regula de non equitando extra casum necessitatis. Aequipollet praeceptis.

160. Informans quomodo Fratres Minores per mundum itinerare debeant, S. Pater, qui in omnibus humilitatem mundanae pompae semper oppo-

(1) Cfr. Lehmkuhl, Tom. 1, n. 1213; Cornelisse, Tom. 1, n. 482.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 3, Text. 3, Tit. 3, Qu. 3, pag. 177.

(3) Cfr. Kerckhove, *In Reg.* Cap. 3, n. 29.

suit, et modum itinerandi qui tunc proprius erat divitum a suis filiis voluit elongatum, sub gravi peccato eis equitationem interdicit. Cum autem vocabulum « *equitare* » a diversis EE. plus minusve restringatur, in diversam abeunt viam circa verum hujus praecepti intellectum et extensionem.

161. A. Certe hoc Regulae praecepto Fratribus Minoribus, modo ne cogat necessitas vel infirmitas, sub *gravi* peccato prohibetur **equo insidendo** iter facere; quia hoc in rigore grammaticali et juxta proprietatem verborum est equitare. Ita omnes.

162. B. An etiam prohibeatur **alio jumento** ac equo vehi, v. g. asino vel mulo, etc., EE. dissentiunt; ast cum hoc praeceptum utpote odiosum juxta proprietatem vocabuli intelligi debeat, et intentio S. Francisci fuisse putetur potius pompam quam equitandi utilitatem excludere, concludendum quocumque alio animali quam equo vehi, si forte prohibeatur a Regula, saltem *non ita stricte* vetari; etenim asino, etc. vehi non pomposum sed potius vile est, atque contemptum pariens, ideoque, data prohibitione, certo tamen ex rationabili causa licitum erit (1).

163. C. Major adhuc dissensio inter EE. semper viguit, an hoc praecepto etiam prohibeatur usus **rhedarum,** seu quorumcumque vehiculorum quae ab equis trahuntur. Sententia certe communior affirmat (2); vere probabilis tamen

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 5, § 7, n. 2 sq.
(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 48, n. 3.

est doctrina nonnullorum EE. (1), tradens bigare et quadrigare (i. e. curru vehi a duobus vel, uti necessario fit in montosis regionibus, a quatuor equis tracto) per hoc praeceptum non prohiberi, quia nonnisi *valde improprie* nomine equitationis potest intelligi; et quamvis intentio S. Patris, ut putant nonnulli, fuerit ut quantum fieri potest Fratres sui pedites cum Christo ambularent, istam tamen intentionem, quantum ad usum vehiculorum, sub praecepto non proposuit sed sub *perfectionis gradibus* potius reliquit. Adeoque si gratis datur currus communis, quo etiam operarii pauperes uti solent ordinariis de causis, non peccat Frater Minor ubi utitur biga vel quadriga.

164. Doctrina haec **confirmari** videtur ex S. Congregationis Episcoporum et Regularium decretis (2), quibus declaravit usum curruum in via ferrata licitum esse ob quamlibet rationabilem causam « *prout in usu rhedarum* »; ex quibus concluditur usum vaporiferorum non esse prohibitum quia prohibitus non est usus rhedarum (3). Hanc autem S. Congregationis responsi interpretationem approbavit Minister generalis P. Aloysius Lauer, qui interrogatus utrum praefata benignior sententia in praxim deduci possit, scripsit: non esse probabile sed *certum* S. Con-

---

(1) Cfr. Marchant, Cap. 3, Tit. 3, Text. 4, Qu. 2, pag. 182; Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 5, § 7, n. 4; Kazenberger, Cap. 3, Qu. 4, *Infertur* 3.

(2) S. Congr. Ep. et Reg. 19 Junii 1863; et 21 Julii 1876 (*Acta Ord.* Tom. 1 (1882), pag. 163; et Tom. 7 (1888), pag. 181).

(3) Cfr. Annotator nov. edit. Kazenberger, pag. 87, *Sententia.*

gregationem aequiparasse usum viae ferreae usui rhedarum, affirmando utrumque licitum esse Fratribus Minoribus (1).

165. Monent hujus sententiae fautores ex aliis quidem titulis usum rhedarum Fratribus quandoque interdici; ipse enim Marchant (2) docet: « *bigationem non retari in rigore verbi equitare, sed aliunde utpote traditione, exemplo Patrum, paupertatis usu, regulari humilitate, etc. Unde theologice et realiter loquendo, licitum vel illicicitum, peccatum et non peccatum, in bigando, ad limam dictorum titulorum expendenda sunt* ». Unde, bigare etiam sub mortale illicitum esse potest et quidem: *a)* ratione *sumptuum* pro quibus ad amicos spirituales recurrendum esset; et sic explicantur verba S. Bonaventurae (3), qui ad textum Regulae: « ET NON DEBEANT EQUITARE », subjunxit: « *et per consequens nec bigare aut quadrigare quae majoris sunt sumtus* »; *b)* ratione *scandali* vel periculi ejusdem; quare peccaret Frater mortaliter qui pompatice, more magnatum et nobilium in rheda veheretur, cum saecularium admiratione et scandalo (4).

166. D. Vectionem in navi, etiamsi navis ab equis trahatur, nullo modo prohiberi, docent EE.

---

(1) Ita refert Annotator noviss. edit. Gabr. da Vicenza, pag. 96, *L'editore.*

(2) Marchant (Ed. 2ª), Cap. 3, Tit. 3, Text. 4, Qu. 2, *Appendix,* pag. 185.

(3) S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 3, n. 14.

(4) Cfr. Marchant, ibidem, *Conclusio* 2, pag. 183. — Vide *Constitutiones Generales,* n. 198.

unanimiter. Usus curruum in **viis ferratis** vaporis impetu adactorum permissus est ex rationabili causa, de licentia Superioris, salvo quoad locum spiritu humilitatis (1). Eodem modo, cum iisdem restrictionibus, servatis scilicet juxta statum nostrum aliunde servandis (2), resolvendum videtur de usu currus «*automobilis*», vel cujuscumque mechanici vehiculi noviter inventi.

167. Causae **excusantes** equitationem in Regula exprimuntur, nimirum: *manifesta necessitas* et *infirmitas*. Prior oritur ex triplici capite: *a)* ratione *prolixi itineris*, quod aliter vel nullo modo, vel nonnisi cum summa incommoditate perfici potest; *b) impediti itineris*, uti propter aquas, nives, etc.; in utroque casu supponitur iter suscipi propter causam legitimam; *c) negotii urgentis* peragendi in loco ad quem Frater, debito tempore, alio modo pervenire nequit. Altera causa equitationem licitam reddit, si quis senio confectus, vel aegrotans, vel debilis, iter suscipere debeat quod aliter sine magna difficultate et salutis periculo perficere non potest. Interim judicio Superiorum relinquitur examen et determinatio manifestae necessitatis vel sufficientis infirmitatis (3).

168. Denique notandum est in equitatione **levitatem** materiae admitti debere, et sic v. g. Frater qui non multum ultra horam equitaret, se-

---

(1) S. Congr. Ep. et Reg. cit. superius ad n. 164. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 199 sqq.

(2) Cfr. imprimis quae dicta sunt num. praec.

(3) Cfr. Kazenberger, Cap. 3, Qu. 4, *Infertur* 5.

cluso scandalo, *renialem* tantum reatum incurreret, nisi id saepius in eodem itinere repeteret (1).

CAPUT IV.

QUOD FRATRES NON RECIPIANT PECUNIAM.

Textus Regulae. Praecipio firmiter Fratribus universis ut nullomodo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam; tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire: eo semper salvo, ut sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

169. **Argumentum.** S. Legislator, quia Fratres suos ab omnibus sollicitudinibus et curis hujus saeculi voluit esse alienos et cum ex alia parte pecunia sit sollicitudinum et curarum occasio maxima, omnem pecuniae usum illis firmissime interdixit; quapropter in hoc Capitulo duo exhibet praecepta gravia, nimirum: 1) prohibet ne Fratres ullo modo denarios vel pecuniam recipiant, ac dein: 2) statuit ut pro necessitatibus Fratrum, Ministri tantum et Custodes per amicos spirituales curam gerant.

Praeceptum I. — *De interdicto pecuniae.*

QUOD FRATRES NULLOMODO DENARIOS VEL PECUNIAM RECIPIANT. Est Regulae praeceptum formale.

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 48, n. 5 in fine, cum Nota nov. Ed. *Juxta alios;* Marchant, Cap. 10, Text. 2, Tit. 1, Qu. 1 in fine, pag. 578.

170. Non concordant EE. in explicando **objecto** hujus fundamentalis et Regulae Franciscanae distinctivi praecepti. Alii (1) solo nomine *denariorum* intelligunt nummos seu monetas; per *pecuniam* autem in Regula intelligi volunt omnem rem, quae pretio aestimatur et quae a Fratribus accipitur, non ut ab ipsis usu consumatur, sed ut sub aestimatione pretii cum alia re commutetur. Haec autem sententia omnino rejicienda videtur et, cum pluribus AA. (2), qui hoc vel expresse docent vel saltem supponunt, denarius et pecunia, sicuti in communi aestimatione generice pro eodem accipiuntur et veniunt pro quibuslibet monetis, ita et in hoc Regulae praecepto omnino ut synonyma habenda sunt; istaque Nicolaus III (3) et Clemens V (4) simul confundunt et pro eisdem sumunt, imo *solo* nomine *pecuniae* utuntur pro denariis. Definiuntur autem: moneta sive metallica sive chartacea, publica auctoritate instituta ad pretium rerum emendarum, seu quatenus est formale instrumentum emptionis et venditionis aliorumque contractuum (5).

171. Hinc nomine **denariorum seu pecuniae** intelliguntur: *a) nummi* seu monetae ex auro,

(1) Inter quos Alb. a Bulsano, § 52, n. 2; et Gabr. da Vicenza, Cap. 4, § 1, pag. 106.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. 1, Tit. 1, Qu. 1, *Conclusio* 2 sqq., pag. 215; Kerckhove, *In Reg.* Cap. 4, n. 2 sqq.; Kazenberger, Cap. 4, Qu. 1, *Notandum;* Laselve, Cap. 4, pag. 93 sq.; cfr. item Ferraris, Verb. *Votum,* Art. 2, n. 136 sqq.

(3) *Exiit,* Art. 6.

(4) *Exivi,* Art. 7.

(5) Cfr. Kazenberger, l. c.

argento, cupro, etc. publica auctoritate confectae ut in contractibus pro solutione dentur et accipiantur; *b)* etiam *chartae* ad eundem finem ab auctoritate publica impressae et neecessarie in commercio agnoscendae (1).

172. Quod spectat **schedulas mensae argentariae** (*Billets de banque*), notandum: *a)* ex *natura sua* nullo modo sunt pecunia, sed mera societatis cujusdam privatae chirographa; *b)* in pluribus tamen regnis auctoritas publica legem tulit, qua talibus chirographis adjudicavit omnes qualitates quae legali solutionis instrumento sunt propriae (2), quare in commercio sunt necessarie agnoscendae et in omnibus *aequiparantur* verae monetae chartaceae; *c)* in illis vero regnis in quibus talis lex non viget, praedicta chirographa *stricto sensu* non sunt pecunia, ideoque non necessarie in commercio agnoscendae; attamen fere ubique, consentiente publica auctoritate quae saepius pro eis sponsione se adstringit, nummorum loco in societate civili adhibentur et usu communi agnoscuntur, unde et in aestimatione hominum generatim ut pecunia chartacea habentur.

173. **Non sunt pecunia**: *sigilla* quaecumque, v. g. *postalia, litterae debitoriae* seu cambiales,

(1) V. g. schedulae, quae ad annum usque 1904 in regno Neerlandiae in usu erant, quaeque vulgo « *Muntbiljetten* » i. e. *schedulae monetariae* vocabantur et quorum loco nunc schedulae *mensae argentariae* substitutae sunt.

(2) Tales leges vigent in Hollandia, Belgio, Germania, Gallia, Anglia aliisque regnis.

census publici seu *actiones* ac horum schedulae quae « *coupons* » dicuntur; talia enim legitima auctoritate non sunt instituta ut *instrumentum solutionis;* quod vero cum iis emptio vel solutio permittatur, est omnino per accidens. Advertant tamen Fratres ne, mediantibus praedictis rebus praesertim *actionibus* vel « *coupons* », ineantur *veri contractus civiles* ac insuper ut praecaveant scandalum; nihil tamen obstat quominus talia, secluso scandalo, a Fratribus de loco ad locum seu ab una persona ad aliam transferantur (1).

174. Pecuniam modo expositam, **recipere,** sive per se sive per interpositam personam, Fratribus omnino a Regula prohibetur. Eam recipere *per se*, est: propria manu recipere pecuniam vel in possessionem vel in usum quemcumque civilem sive proprium sive alienum; eam recipere *per interpositam personam* sibi vult, auctoritative aliquem instituere ad pecuniam recipiendam, asservandam, expendendam, etc. sive talem personam nomine Fratrum pecunias recipientem sustinere vel in hoc consentire (2). Quare verba Regulae « PER SE VEL PER INTERPOSITAM PERSONAM » intelliguntur: per propriam personam vel per aliam personam sibi vicariam.

175. Quaenam circa pecuniae receptionem **prohibeantur,** deducendum est ex declaratione Innocentii XI (3) qui docet: « *aliarum rerum ne-*

(1) Cfr. inferius dicenda n. 180 sqq.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. 1, Tit. 1, Qu. 2 sq. pag. 224 sqq.

(3) Bulla: *Sollicitudo* (*Bull. Rom.* Tom. 11, pag. 272).

cessariarum possunt .... habere usum, licet non dominium; denariorum autem nec dominium nec usum, et proinde quaeris contrectatio pecuniae .... quae non sit pure naturalis, seu quae sit quoris modo politica, cujuscumque domini sint denarii .... est omnino prohibita » (1). Distinguitur ergo in citatis verbis: pecuniae *a*) dominium, *b*) contrectatio naturalis seu materialis, et *c*) contrectatio politica seu usus.

176. A. **Dominium** pecuniae, et per consequens quodcumque illud supponit, jam vetitum est ex ipso voto paupertatis et ex Regulae Capitis sexti praecepto expropriationis (2), quibus *cujuslibet rei* ergo et *pecuniae* dominium, possessio etc. prohibetur; ergo non solum hujus Capitis quarti praeceptum sed ipsum votum violatur omnibus actibus qui rationem *dominii* alteriusve *juris politici* ad pecuniam in se includunt (3).

---

(1) Vide *Constitutiones Generales,* n. 202.

(2) Cfr. dicta superius, Part. 1, n. 37 sqq.

(3) Hujusmodi actus, etiam ipso voto paupertatis contrarii, praecipui sunt: *a*) velut dominus mandaré quomodo et qualiter pecunia, apud Syndicum vel aliam personam deposita, expendi vel alteri tradi debeat (Vide *Constitutiones Generales,* n. 215); *b*) de ea in judicio vel extra illud rigorosam rationem exigere; *c*) pecuniam quomodocumque repetere, sive deponere aut deponi curare; *d*) pecuniae capsulam seu ejus clavem apud se retinere, ne sine ipsius consensu aliquid expendatur; « *praedicta enim facere,* ita Clemens V (*Exivi,* Art. 7, n. 4), *ad solos dominos pertinet et eos quos ipsi deputaverint* ». Eadem ex ratione prohibetur, ut docent EE.: *e*) pecuniam apud se deponi permittere, ita ut de ea rationem reddere teneatur; *f*) pecuniam mutuum

177. B. Non prohibetur pecuniae **contrectatio** pure **naturalis** seu materialis, quae habetur quando contrectantis actio *ex se* seu *ex fine operis* respicit pecuniam secundum suum pretium *intrinsecum* seu suam materiam, vel quatenus in genere est res ad proximum omnimode spectans; ita unanimis EE. doctrina (1). Quare Regulam haud violat qui pecuniam contrectat prout est aurum vel argentum, v. g. ad calicem conficiendum, aut eam de terra sublevando, aut a fure auferendo ut domino reddatur, aut eam in simplicem custodiam accipiendo (2).

178. C. Speciale vero et proprium objectum hujus praecepti, quatenus specifice distinguitur ab ipso paupertatis voto et praecepto expropriationis, est prohibitio usus simplicis facti pecuniae, seu pecuniae **contrectationis politicae**; quae habetur quando contrectantis actio *ex se* seu *ex fine operis* respicit pecuniam secundum suum valorem *extrinsecum* seu quatenus est legitimum instrumentum emptionis aliorumque contractuum, seu medium commercii (3).

---

dare aut accipere (Cfr. *Exiit*, Art. 6, n. 1), vel ex ea cambium facere; *g*) juridicas quittantias dare (Vide *Constitutiones Generales*, n. 213); *h*) accipere litteras cambiales sub proprio nomine, quibus demandatur pecunia ipsi numeranda (Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. 1, Tit. 1, Qu. 2 sq. pag. 224 sqq.).

(1) Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 284.

(2) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 1, *Infertur* 3.

(3) Cfr. *Comment. in Const. Gener.* l. c.

179. Quapropter inter alia **prohibetur**: *a*) Pecuniae *collecturas* facere (1), etiamsi saecularis vel Tertiarius sive Oblatus secum ducatur ut illam recipiat, vel tales incitare ad pecuniam pro conventu mendicandam; essent enim interpositae personae Fratrum; quodsi saeculares motu proprio hoc praestarent, convenit ut Fratres protestentur absque suo mandato hoc fieri. Prohibetur: *b*) in ecclesia vel quovis alio loco *truncos ponere* vel non auferre, in quos benefactores eleemosynas pecuniarias pro Fratribus reponere possunt (2), etiamsi pecuniae sint oblatae pro Missis legendis (3). Pro pauperibus autem, confraternitatibus, missionibus, vel alio pio opere in ecclesiis nostris, praesertim ad instantiam Episcopi vel Magistratus, collecta a saecularibus perficienda permitti potest, dummodo publice constet eandem nec ex nostro mandato, nec in nostrum emolumentum fieri (4). Item prohibetur: *c*) pecuniam, quamvis ultro oblatam, *recipere* in usum proprium, vel etiam alienum utpote ad dandam alteri vel in alterius necessitatem expendendam (5). Etiam vetatur: *d*) pecuniam *alteri dare*, sive in pretium laboris, sive in simplicem eleemosynam (6). Item: *e*) pecuniam in

(1) Cfr. *Exivi*, Art. 7, n. 1, *Nam ubi*.

(2) Ibidem, l. c.

(3) Ita declaravit Urbanus VIII, Const. *Injuncti nobis*, 18 Decembris 1625 (*Bull. Rom.* Tom. 4, pag. 102). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 204.

(4) Cfr. Alb. a Bulsano, § 54, n. 3.

(5) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 2, n. 21.

(6) Aliae quidem res etiam extra Ordinem donari possunt, non autem pecunia, quia Superioribus concessa est administra-

proprias vel alienas necessitates *expendere*. Tandem: *f*) inhibetur pecuniam etiam alienam *dispensare* vel *administrare* (1). Et haec omnia interdicta sunt, non tantum si pecunia recipiatur vel expendatur propria manu, sive immediate sive mediate, puta si sit charta involuta, vel in peram ab aliis immissa (2); sed etiam si recipiatur vel expendatur per alium nostro nomine haec facientem, quia esset recipere pecuniam per interpositam personam.

180. Magna inter EE. Regulae agitatur quaestio, an scilicet liceat Fratri Minori denarios seu pecuniam **transportare** seu transferre de loco in locum, seu ab una persona ad alteram. Supponitur autem Fratrem nullam *obligationem civilem* pecuniae si pereat restituendae in se suscipere, *nullum jus* in pecuniam sibi arrogare, ac nullo modo *de mercede* pro servitio praestando pascisci; horum enim sunt Fratres Minores incapaces non tantum relate ad pecuniam, sed circa *quascumque res temporales*. Quibus positis respondendum videtur ut sequitur.

181. A. In hujus controversiae solutione tenenda est norma ex **declaratione Innocentii XI** (3) deducta, scilicet: si in tali pecuniae translatione intervenit contrectatio *politica seu civilis*, certe non

---

tio ministerialis naturalis earum rerum, quarum usum nobis licet habere (cfr. dicta supra, Part. 1, n. 68), nulla vero administratio pecuniae.

(1) Cfr. dicta superius, Part. 1, n. 53, Nota: *Praeterea.*

(2) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 1, *Infertur* 1.

(3) Bulla: *Sollicitudo;* cfr. quae ex ea citantur superius n. 175.

licet; e contra nihil obstat quominus Fratres pecuniam de uno loco ferant in alium non in qualitate pecuniae, sed mere ut est *res ad proximum omnimode spectans.* Ita licet: *a*) nuda translatio pecuniae, puta a locutorio ad alium cubiculum ne v. g. forsan ab aliquo adventanti surripiatur; *b*) in itinere, per locum latronibus obsitum, bursam amici portare donec periculum cessat; vel istius, iter ingressuri, thecam pecuniariam ad cellam deferre eamque custodire donec redierit (1); item ad amicum qui ex oblivione marsupium in conventu reliquit eundem transferre; *c*) invenienti denarios amissos, eosdem secum ferre ut rem prorsus alienam, et quantocius fideli personae consignare eique totum negotium relinquere; illicite econtra Fratres eos secum tollerent cum intentione ipsos suis aut conventus necessitatibus applicandi vel pauperibus distribuendi etc. (2); *d*) licet confessario a poenitente restitutionem sacramentariam pecuniae, sicut cujuscumque rei ad proximum pertinentis, accipere et domino tradere (3).

182. B. Nullo modo adhaerendum videtur doctrinae singulari quorundam EE. (4) a com-

(1) Cfr. tamen superius, Part. 1, n. 53, *c.*

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 55, n. 6.

(3) Cfr. Ibidem, n. 2.

(4) Hujus opinionis fautores non inveniuntur nisi Gabr. da Vicenza, Cap. 4, § 1, Art. 1, Regola 4, 7ª sqq.; Philippus a Castellucio citatus apud Alb. a Bulsano, § 55, n. 5, qui ad ejus partes inclinare *videtur,* ac tandem Samuel Majocchi, *Esposizione ascetica morale della Regola Minoritana,* Cap. 4, Art. 2, n. 5; in quo opusculo reflexiones asceticae et morales expanduntur ex Regulae Expositione Alberti a Bulsano.

munissima aliorum (1) rejectae, *omnem* translationem pecuniae **sive pro aliis sive pro bono conventus**, v. g. de benefactore ad Syndicum vel ejus substitutum, licitam esse. Equidem: *a*) rationes quas patroni illius sententiae afferunt nil convincunt et solummodo probant in tali translatione nullum *dominium* vel *jus* in pecuniam exerceri; ast pecuniae receptio prohibetur non respectu solius dominii etc., sed specialiter tamquam *civilis contrectatio* quae etiam haberi potest independenter a dominio; de caetero haec doctrina orta videtur ex illorum sententia, quae omnino rejicienda videtur (2), nomine *pecuniae* in Regula Minoritica dici omne quod recipitur *eo animo ut vendatur* etc. (3); *b*) si licita est transportatio pecuniae Ordinis usibus destinatae, Fratribus etiam liceret in officinis res diversas sibi procurare et mercatori, sive diverso sive eodem tempore, pecuniam a Syndico receptam transportare; vel sibi chartam ingressus in currum vaporiferum sumere,

---

(1) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. 1, Tit. 1, Qu. 2, *Petes* 1, pag. 228; quem sequuntur Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 2, n. 21, 4°, et Kazenberger, Cap. 4, Qu. 1, *Infertur* 1; Bern. Gandavensis, Cap. 4, § 1, n. 12, 10° sqq.; Laselve, Cap. 4, n. 96; *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 285, aliique permulti; cfr. etiam Annotator noviss. edit. Alb. a Bulsano, pag. 197, *Praecedens*.

(2) Cfr. dicta supra n. 170.

(3) Etenim Philippus a Castellucio ratiocinatur hoc modo: Frater humeris deferre potest frumentum a Syndico vendendum commutatumve; cur ergo denarios similiter transportare non valebit? Nam si denarius et talis pecunia sunt similiter objectum Cap. 4, aequo jure contrectari poterunt vel non.

simul pecuniam transmittendo etc., ita ut Fratres Minores verbo tantum et non re distinguerentur a caeteris Religiosis paupertate seraphica non adstrictis; *c*) in tali translatione Fratres danti vel Syndico deserviunt in ordine ad pecuniae expensionem, quandoquidem alio fine illam non deferunt nisi *ut expendatur* pro Fratribus; ergo transfertur pecunia qua medium commercii, in qua translatione habetur contrectatio quidem ministerialis seu, ut alii vocant, instrumentalis, tamen *vere civilis; d*) Nicolaus III (1), declarans ex professo modum quem Fratres tenere debent circa pecuniam ipsorum necessitatibus destinatam, statuit pro casu quo benefactor vel ejus substitutus propter absentiam, infirmitatem, locorum distantiam etc., impediretur pecuniae expensionem per seipsum facere, ut plures ubi necesse foret substituti etiam indefinite subrogarentur; sed subrogatio plurium personarum inutilis foret et superflua si *Fratres* possent hanc pecuniam *ipsi* portare ad locum vel personam cui destinatur. Quare sententia fere communis docet peccare contra Regulam, qui pecuniam recipit ut eam ad Syndicum deferat pro necessitatibus Fratrum expendendam. Hanc autem sententiam omnino tenendam esse, probat expressa declaratio S. Congregationis Episcoporum et Regularium, rescribens non licere Fratribus recipere per seipsos denarios a benefactoribus, *neque ad hoc ut eos ad Syndicum deferant* (2).

(1) *Exiit*, Art. 6, n. 3.

(2) Hoc S. Congr. Ep. et Reg. decretum afferunt *Analecta Juris Pontificii*, Tom. 16, col. 733, n. 1428, inter « *Décrets*

183. C. Neque placere potest sententia plurium AA. (1) contra plures alios (2), licitum esse pecuniam, non quidem ad *proprium Ordinis* usum, sed **pro aliis** portare seu de loco in locum transferre, si id necessitas vel charitas exigat; ita ut *semper* liceat, v. g. denarios unius amici ad alterum, vel ad preces alicujus debitoris alio transferre pro consignandis ejus creditoribus, aliaque hujusmodi. Videtur enim haec norma *nimis generaliter* proponi, atque adversari declarationi Innocentii XI (3), qua prohibetur contrectatio pecuniae quae sit *quovis modo* politica, *cujuscumque domini* sint denarii. Possunt quidem plures occurrere casus in quibus translatio pecuniae pro aliis est materialis

inédits de la S. Congrégation des Evêques et Réguliers » de quibus testantur Tom. 14, col. 183: « *Tous ces documents ont été copiés sur les régistres authentiques de la S. Congrégation* ». En decreti tenor: « S. Congregatio, ad quam SSmus supplicem libellum remisit, referente Emo Antistite ponente, auditis relationibus PP. Vice procuratoris generalis curiae ordinis discalceatorum, Recollectorum, commissarii curiae ordinis Observantium, ac procuratoris generalis ordinis reformatorum, censuit rescribendum prout rescripsit, non licere fratribus quibuscumque ordinis minorum S. Francisci recipere per seipsos pecuniam seu denarios a benefactoribus quacumque ex causa, etiam titulo eleemosynae seu gratuitae seu onerosae oblatos, neque ad hoc ut eos ad apostolicum syndicum conventus deferant, sed hujusmodi receptionem ac transportationem fieri debere per saeculares personas ab eodem syndico deputatas. Romae, 1 Julii 1796 ».

(1) Inter quos Ferraris, Verb. *Votum*, Art. 2, n. 133; cfr. etiam Alb. a Bulsano, § 55, n. 5.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. 1, Tit. 1, Qu. 2, *Petes* 1, pag. 228; Bern. Gandavensis, Cap. 4, § 1, n. 12, 12°.

(3) Bulla: *Sollicitudo;* cfr. iterum citata superius n. 175.

tantum (1); ast quis affirmet in translatione pro aliis, puta in delatione pecuniae alterius pro solutione rei ab ipso emptae vel emendae, nunquam haberi contrectationem civilem ministerialem; unde hac in re magna circumspectione procedendum, diversaeque casuum particularium circumstantiae considerandae veniunt.

184. Quamvis hujus praecepti de non recipiendis pecuniis sit gravissima obligatio, nihilominus *non omnis* pecuniae usus vel civilis contrectatio damnanda est de peccato *mortali*. Doctrina enim unius alteriusve (2), qui hanc quaestionem, ab aliis AA. non examinatam, tractans asserit hoc praeceptum non admittere parvitatem materiae, ut nimis rigorosa rejicienda est. Quaenam autem materia sit **gravis** definiendum erit, non tam ex pecuniae contrectatae *quantitate*, sed potius ex *modo* quo actus ipsius contrectationis seu usus minus vel magis participat juri vel proprietati pecuniae, atque e *temporis* spatio quo denarii retineantur vel de iis disponatur.

185. Tandem EE. omnes monent ut etiam ab iis quae hac in re ut licita habentur, Fratres sese abstineant secundum **spiritum S. Francisci**, qui Fratres suos ab omni contrectatione pecuniae voluit elongatos. Praeterea cavendum a *scandalo pu-*

---

(1) Inter alia cfr. exempla allata superius n. 181.

(2) Cfr. Sinistrari de Ameno, *De Poenis et Delictis*, Tit. 3, § 2, n. 26. — Citatur etiam Aug. Matthaeucci, *Schola pauperta tis*, Tit. 2, Cons. 3, n. 6, qui tamen docet hujus praecepti transgressionem semper graviter peccaminosam, praesertim ratione scandali quod putat vix in ea abesse.

sillorum, qui omnem pecuniae attactum putant nobis penitus interdici; denariorum enim repulsus est Ordinis Fratrum Minorum ab aliis Ordinibus signum distinctivum, et non sola illius transgressio, sed et transgressionis apparentia supra modum institutum nostrum deturpat (1).

Praeceptum II. — *De recursu ad amicos spirituales.*

QUOD MINISTRI (TANTUM) ET CUSTODES PRO NECESSITATIBUS INFIRMORUM ET FRATRIBUS INDUENDIS SOLLICITE CURAM GERANT. Enumeratur inter praeceptis aequipollentia.

186. S. P. Franciscus, quantum paupertatis tantum et charitatis studiosissimus, postquam praecepit ne Fratres pecuniam recipiant, attendebat

(1) Quamvis usus pecuniae graviter sit prohibitus, ex eo tamen non sequitur *Missiones* quae *sine pecuniae contrectatione* consistere nequeunt, a Fratribus administrari non posse; nam: *a*) Ordo noster institutione sua missionarius est, ut ex Regulae Capite ultimo patet; ergo permissa censentur omnia quae ad hunc finem necessaria sunt; et cum Regula non distinguat nec est quod permissionem restringamus ad casum quo alii Missionarii deessent; *b*) omnium virtutum exercitia, etiam paupertatis altissimae, charitati subservire debent; hinc nulla virtus, nulla lex potest obligare in praejudicium charitatis; *c*) vivente S. Francisco, quidam Fratres (ut refert Waddingus, *Ad annum* 1226, n. 64) ad regnum Miramolini missi existimabant sibi licere ob inevitabilem necessitatem et evidentem utilitatem, mutare habitum, nutrire barbam et comam, et recipere denarios; quod et approbavit Honorius III, anno tertio post Regulae confirmationem (Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 2, n. 31 sqq.).

plura ex iis quae vitae humanae sunt necessaria nec liberaliter offerri, nec commode mendicari aut laboritio acquiri posse. Hinc ne observantia paupertatis redundet in detrimentum charitatis, providit ut ea quae necessaria sunt v. g. pro infirmis et pro vestiario Fratrum, sub quibus necessitatibus, declarante Clemente V (1), omnes aliae necessitates illis similes comprehenduntur, **speciali modo** procurari possint et debeant; nempe: per amicos spirituales qui mediante pecunia, dictarum necessitatum provisionem faciant, qualis procuratio jam a laudato Pontifice (2), vocatur recursus ad amicos spirituales.

187. **Quatuor** ergo **modi** juxta mentem S. Francisci assignari possunt, quibus commodae Fratrum sustentationi providetur, nimirum: *a*) per liberaliter oblata; *b*) per acquisita laboritio seu in mercedem; *c*) per mendicationem, qua res in specie postulantur; et *d*) casu quo provisio necessariorum, praedictis modis commode fieri non potest, per recursum ad amicos spirituales; unde recursus ille ex ipsius Regulae mandato fieri debet in necessitate cui aliter commode provideri nequit. Non minus ergo Regulam servat qui in necessitate recurrit ad amicos spirituales, quam qui sibi providet sive recipiendo mercedem laboris aut liberaliter oblata, sive per mendicationem (3); semper tamen manet prohibitio ne Fratres ad amicos

(1) *Exivi,* **Art. 7, n. 2.**

(2) Ibidem, l. c.

(3) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. *De recursu,* Tit. 2, Qu. 1, pag. 249 et Tit. 4, Qu. 3, *Dubium notabile,* pag. 261.

spirituales recurrentes, in aliquo se *receptioni* vel *ministerio* pecuniarum immisceant, quod inculcat textus Regulae: « EO SEMPER SALVO UT ..... DENARIOS VEL PECUNIAM NON RECIPIANT ».

188. Ne tamen hac S. Patris provisione via panderetur abusibus, non cunctis Fratribus sed solis Superioribus, caeteris exclusis, recursus ad amicos spirituales committitur. Hinc in hoc Regulae praescripto **duplex praeceptum grave** distinguere oportet; alterum *affirmativum*, injungens Superioribus, casu quo necessitatibus Fratrum alio modo providere non possunt, pro eis curam gerere etiam recurrendo ad amicos spirituales; alterum *negativum*, cunctis subditis talem recursum prohibens.

189. Praecepto **affirmativo** denominantur Fratres quibus cura hujus provisionis demandatur; scilicet: *Ministri et Custodes*, quo ultimo nomine, cum in Regula diversimode sumatur (1), plures EE. cum S. Bonaventura (2), aliis tamen aliter sentientibus (3), in hoc praecepto intelligunt etiam Guardianos. Pro praxi tamen idem semper resultat, quia, ex declaratione Nicolai III (4), haec procuratio aliis committi potest, et modo jam *Guardianis* et in eorum absentia *Vicariis* ex officio, aliis autem Fratribus interdum ex speciali commissione committitur; subditis tamen haec commissio ne indistincte et leviter fiat, ut vitetur proxima trans-

(1) Cfr. inferius dicenda n. 223.
(2) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 4, n. 22.
(3) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 4, n. 12.
(4) *Exiit*, Art. 15.

gressionis occasio (1). *Graviter* ergo vel *leviter*, pro qualitate negligentiae, peccant tum Praelati tum alii quibus haec cura commissa est, quando injunctam sibi sollicitam curam negligentes, Fratrum necessitatibus juxta statum nostrum non provident (2).

190. Praecepto **negativo** *reliquis Fratribus*, excepto casu quo adesset et vera necessitas et notabilis Praelatorum negligentia (3), recursus ad amicos spirituales prohibetur; legitur enim in Regula: « MINISTRI TANTUM ET CUSTODES » qua voce « *tantum* », ut patet ex declaratione Nicolai III (4), excluduntur praeceptorie omnes alii, nisi hoc eis specialiter commissum fuerit; ita ut subditus ex propria auctoritate recurrens, peccatum admittat contra hoc praeceptum; non tamen violat paupertatis votum nisi rem per recursum procuratam recipiat, eaque utatur sine licentia Superioris (5).

191. Nomine **amici spiritualis** in Regula vocatur persona quae a Fratribus *rogata* (6),

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 4, *Respondeo.*

(2) Vide *Constitutiones Generales,* n. 206 sqq.

(3) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. *De recursu,* Tit. 3, Qu. 1, *Conclusio* 2, *Dices,* pag. 255.

(4) *Exiit,* l. c.

(5) Cfr. Alb. a Bulsano, § 58, n. 3.

(6) Cfr. Alb. a Bulsano, § 57, n. 1, 5; et Gabr. da Vicenza, Cap. 4, § 2, Art. 1, 1°. — Docent quidem nonnulli cum Marchant (Cap. 4, Text. *De recursu,* Qu. 2, *Conclusio,* pag. 236), amicum spiritualem esse non solum qui rogatus, sed etiam qui *sponte* dat pecuniam ad subveniendum necessitatibus etc., quod tamen minime placere potest, ut patebit ex mox dicendis nn. sqq.

mediante pecunia res eis necessarias procurat vel jam procuratas solvit. Distinguitur ergo amicus spiritualis: *a*) a *benefactore*, quo nomine in sensu Regulae intelligitur tum qui, spontanea voluntate motus, ad subveniendum necessitatibus Fratrum pecuniam offert, tum qui sive sponte sive rogatus Fratribus elargitur ea quibus ipsi uti possunt (1); *b*) ab *interposita persona*, haec enim ipsorum Fratrum nomine et auctoritate denarios recipit, expendit, etc.; dum amicus spiritualis hoc facit nomine proprio vel si est substitutus nomine dantis, nullo autem modo nomine Fratrum; *c*) a *Syndico apostolico* (2), qui nomine et auctoritate Rom. Pontificis adest Fratribus eorumque necessitatibus subvenit.

192. His praenotatis statuitur: recursus ad amicos spirituales **essentialiter consistit** in sollicitatione Fratris velut *causa* eo tendens, ut moveatur alicujus voluntas ad expendendam pecuniam, in gratiam Fratrum, tamquam *effectum*. Unde a recursu alienum est, non sola *mendicatio* qua res necessariae in specie procurantur, quamvis illae alias emantur vel per pecuniam solvantur; sed etiam acceptio emptionis solutionisve *sponte oblatae*, scilicet, ad recursum requiritur ut Frater revera *procuret* ut quis *moveatur* ad emptionem vel solutionem faciendam; ita ut Fratris sollicitatio, sive dictis sive factis, sit *causa* motiva quod pe-

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 57, n. 1, 2.

(2) Cfr. inferius dicenda n. 202.

cunia sui gratia expendatur, sive sit in utilitatem ipsius petentis sive aliorum Fratrum (1); a. v. requiritur ut aliquem moveat, seu ex *nolenti* vel *indifferenti* faciat *volentem*, ad rem sui gratia, mediante pecunia procurandam (2).

193. Ex iis deducitur: I. **Recursus habetur** non tantum quando Frater *expressis verbis* rogat emptionem vel solutionem, dicendo v. g. *eme* mihi talem librum, sed etiam quando indigentiam suam vel desiderium manifestat talibus verbis, quae, *non quidem in sola mente petentis* sed *ex se*, eo tendunt ut aliquem moveant ad rem per pecuniam procurandam; ita ut praedicta manifestatio tali modo et forma fiat ut sit *indirecta petitio*, uti si diceret: talis liber prostat apud talem bibliopolam, optarem ut quis illum mihi procuraret; vel etiam, si in hujusmodi circumstantiis quae denotant eum emptionem intendere, diceret: *da* mihi talem librum; nam non refert utrum in casu dicatur: *da* mihi talem rem, an: *eme* mihi eam, vel quidquid aliud; si enim Frater Minor in rei petitione utitur verbis *ex se* aptis ad benefactoris voluntatem movendam ut rem petitam *emptione* procuret, habetur revera procuratio Fratris tamquam causa effectiva, qua voluntas benefactoris ad expensionem pecuniae movetur, ergo verus recursus ad amicos spirituales (3).

---

(1) Cfr. inferius n. 204.

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 57, n. 4, 1; item *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 312.

(3) Cfr. Alb. a Bulsano, l. c. et nota nov. Edit. pag. 205, *Haec manifestatio;* item Bern. Gandavensis, Cap. 4, n. 44, 2°.

194. II. Recursus **non habetur** in illa petitione quae per se, *ex communiter contingentibus*, ordinatur ad rem immediate, *sine* interventu pecuniae obtinendam, etsi *per accidens* contingat illam emendam esse; talis enim petitio est humilis mendicatio. Neque habetur recursus, etiamsi Frater *interius* forte intendat emptionem procurandam, quando res petitur talibus verbis ac in talibus circumstantiis, quibus illa intentio nullo modo *exterius* manifestatur, v. g. si Frater cum tali intentione valde laudat librum nuper editum (1).

195. III. Iisdem ex principiis deducitur quandonam contingat recursus ad amicos spirituales in invocatione beneficii, ex diversis eleemosynis quae Fratribus elargiuntur, praestandi. Quapropter, ut rem clarius explanetur, variae eleemosynarum **pecuniariarum species** distinguendae sunt, scilicet: 1) eleemosynae non sponte oblatae, sed *ad Fratrum preces* concessae; 2) eleemosynae *sponte oblatae* quarum dominium dans sibi reservat; et tales sunt vel omnino *indifferentes*, seu quae ab aliquo offeruntur pro Fratrum necessitatibus in genere, quin aliquid determinetur; vel sunt *determinatae* a dante pro certa quadam necessitate, exclusis caeteris; quae necessitas potest determinari vel *individue* vel *in specie;* 3) eleemosynae *apud Syndicum* qua talem depositae, quarum dominium transiit ad Ecclesiam, sive sint liberaliter oblatae, sive pro la-

(1) Cfr. *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 312.

bore spirituali vel corporali datae, sive testamento relictae, sive provenientes ex venditione rerum, quae Fratribus sunt vel illicitae vel inutiles.

196. Resolvitur ad 1). Si eleemosynae pecuniariae non sponte sed ad **Fratrum preces** conceduntur, juxta unanimem consensum, *pleno sensu* habetur recursus ad amicos spirituales; cum revera procuretur effective emptio vel solutio alicujus rei, a persona quae nullo modo ad hoc fuit determinata, sed quae Fratrum precibus movetur, ac ex nolenti vel indifferenti fit volens.

197. Resolvitur ad 2). A. Contra quosdam (1), qui docent omnem recursum ad quascumque eleemosynas, etiam *sponte oblatas* vel jam antea *sponte depositas*, esse recursum ad amicos spirituales in sensu Regulae, cum pluribus EE (2) tenendum *nullo modo* recursum intervenire in petitione rei pro qua procuranda, sive *determinate* sive *indeterminate*, benefactor pecuniam ipse antea jam dedit substituto vel fixe assignavit. Etenim quando eleemosynae **sponte offeruntur**, benefactores, absque ulla requisitione Fratrum, jam *sunt parati* ad res emendas; Fratres autem ad expensionem pecuniae se non habent per modum causae *effectivae*, sed tantum causae *accidentalis* quoad tempus aliasve circumstantias; a. v. habetur procuratio non emptionis, sed solummodo executionis bonae voluntatis quam benefactor ponitur jam habere; seu habetur in-

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 6. *Respondeo* 7.
(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 57, n. 3.

vocatio beneficii, quod faciendum benefactor, determinate vel indeterminate, tamen *sponte* prius jam decreverat; ergo in hisce, conditiones ad recursum necessariae deficiunt. Quae sententia confirmatur ex declaratione Nicolai III (1), qui recursum permittit « *cessantibus eleemosynis de quibus satisfieri commode tunc non posset* »; item Clemens V (2), « *cessantibus eleemosynis* », recursum licitum declarat; ergo aperte solutionem factam per eleemosynas jam antecedenter sponte oblatas et apud dantes vel eorum substitutos depositas, a solutione per recursum procurata distinguunt.

198. B. Nonnulli vero EE. (3) distinctionem faciendam esse censent. Concedunt quidem recursum non fieri, si pro re emenda vel solvenda reperitur eleemosyna sive specifice sive individue ad hoc *determinata;* sed econtra semper recursum putant contingere, si emptio vel solutio procuratur ex eleemosynis *indeterminatis*. Rationem hujus distinctionis repetunt ex eo, quod in posteriori casu usus pecuniae ab ipsis Fratribus determinetur, in priori vero a benefactore determinatus sit. Sed respondetur: **eleemosynae indifferentes** non ex alio fine reponuntur nisi ut pro necessitatibus Fratrum expendantur, et jam ex intentione dantis *determinatae sunt* ad ea, quibus Fratres indigent; ergo neque in casu posteriori usus pecuniae a Fratribus determinatur et non ma-

(1) *Exiit,* Art. 6, n. 1.
(2) *Exivi,* Art. 7, n. 2.
(3) Cfr. Bern. Gandavensis, Cap. 4, n. 45, 3° et n. 50, 4°.

gis recurritur ad amicos spirituales in sensu Regulae, quam in casu priori (1).

199. C. Ex dictis pro praxi deducitur **non intervenire recursum** ad amicos spirituales in casibus sequentibus. *a*) Si quis benefactor, non per Fratrum preces sed propria benignitate motus, rogat Fratrem an velit v. g. librum habere, intendens eum emere, et Frater annuit; *b*) si quis serio manifestat suam voluntatem aliquid elargiendi, rogans ut ipse Frater indicet quid velit habere; vel Fratri dicit: si qua re indiges, indica mihi et illam tibi emam, et Frater necessitatem suam illi manifestat; *c*) si Frater in eodem casu respondit se nulla re indigere, sed benefactor instat dicens: si postea memineris alicujus rei quae tibi arridet, dicas mihi et ego eam tibi procurabo, Frater autem postea rogat rem emendam; *d*) si quis dicit: quando indiges libris, sume illos apud talem bibliopolam, cui omnia solvam, Frater vero sibi opportuno tempore libros necessarios procurat; etenim in his omnibus benefactores, absque aliquo interventu Fratrum, jam parati sunt ad pecuniam pro eis expendendam, ideoque recursus in sensu Regulae non occurrit (2). Neque habetur recursus si Frater amicum, qui *antea promisit* se soluturum esse quasdam res apud mercatorem a Fratribus sumendas, postea monet ut eas solvat; quia in casu solummodo illius bona voluntas in memoriam revocatur.

---

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 57, n. 3.
(2) Cfr. Ibidem, n. 5.

200. D. Econtra **recursus habetur** si Frater rogat benefactorem ut eleemosyna sponte oblata sed determinata, v. g. pro libris emendis, applicetur *ad emendas alias res* ad quas non determinata fuit, v. g. carnes; quia tunc eleemosyna pro carnibus conceditur ad preces Fratrum, per quas voluntas benefactoris movetur ut procuret ea quae antea, neque implicite in mente habuit (1).

201. E. Tandem, ne Fratres in hac re sibi illudant, bene notetur, in omni sollicitatione expensionis pecuniae sponte oblatae semper considerandam esse **altissimam paupertatem** nostram seraphicam. Videant ergo Fratres ne, sub praetextu quod non sumant recursum ad amicos spirituales, sibi procurent res superfluas, curiosas atque pretiosas (2).

202. Resolvitur ad 3). Superiores, rogantes **Syndicum Apostolicum** qua talem, ut ex eleemosynis sibi creditis provideat alicui necessitati, censendi *non* sunt sumere recursum ad amicos spirituales. Syndicus enim qua talis dici nequit amicus spiritualis in sensu Regulae, quia ille officia sua nomine et auctoritate Papae peragit, dum hic pecuniam vel nomine proprio vel nomine dantis expendit (3). Accedit quod eleemosynae apud Syndicum depositae, ad sublevandas Fratrum necessitates jam determinatae sunt ab ipso Rom. Pontifice in cujus dominium transierunt, et qui Syndicis seu substitu-

(1) Cfr. Ibidem, n. 4, 2.
(2) Cfr. dicta supra, Part. 1, n. 57.
(3) Cfr. dicta superius n. 191.

tis suis mandavit ut expendantur prout Superiores supplicaverint (1); proinde ad illas eleemosynas recurrere licet sicut ad eleemosynas sponte oblatas (2).

203. **Conditiones** requisitae ut Superiores, vel subditi de Superiorum licentia, licite recurrere possint ad amicos spirituales, ex Regula et declarationibus Rom. Pontificum quinque enumerantur (3), scilicet: *a*) *Necessitas vera;* i. e. requiritur talis necessitas, ut sine aliquo detrimento majoris boni spiritualis vel temporalis, persona particularis vel communitas aliqua re carere non possit. Ast haec necessitas non debet esse abso-

(1) Cfr. inferius dicenda, Append. n. 271.

(2) Plures tamen EE. (cfr. imprimis Marchant, *Relectio theologica et litteralis de institutione et usu Syndicorum* etc., Sect. 3, *Concordia universalis,* pag. 116) pro licito recursu ad pecuniam apud Syndicum Apostolicum qua talem depositam, easdem omnino requirunt conditiones ac pro recursu ad amicos spirituales; ast haec doctrina omnino adversari videtur declarationi Nicolai III (*Exiit,* Art. 12, n. 2), qui ordinavit ut pecunia proveniens e venditione rerum non utilium « *expendatur in rem licitam, cujus usum Fratribus licet habere* » etsi forte, ut concedit ipse Marchant (*Relectio theol.* etc. Sect. 4, § 2, pag. 138), ita necessaria non esset, modo sit utilis et non superflua. Ergo pro recursu ad talem pecuniam non requiritur v. g. vera necessitas quae aliter provideri nequit etc., qualis requiritur in recursu ad amicos spirituales (cfr. dicenda n. seq.); proinde Superiores tuta conscientia recurrere possunt ad Syndicum ad procuranda ea quibus conventus indiget, etiamsi sint res commode mendicabiles (Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 4, Art. 5, *Dubbio* 1).

(3) Cfr. Marchant, Cap. 4, Text. *De recursu,* Tit. 4, Qu. 2 sqq. pag. 257; Kazenberger, Cap. 4, Qu. 5; Gabr. da Vicenza, Cap. 4, Art. 2, *Punto* 1; aliique.

luta vel stricta, sed sufficit necessitas accommoda, secundum statum et professionem nostram; hinc circumstantiae personarum, locorum, temporum et occupationum inspiciantur. *b*) *Necessitas* vel *praeterita*, utpote si facienda est solutio pro rebus jam acquisitis; vel *praesens*, seu rei indigentia in praesenti ita ut non detur locus expectationi; vel *imminens*, quae jam ex propinquo apparet sive brevi praevidetur certe eventura; excluditur ergo necessitas quae vel non certe vel nonnisi post multum temporis occurrit. *c*) *Absentia eleemosynarum indifferentium*, quia si emptio vel solutio ex iis fieri potest nulla datur necessitas ad alias recurrendi. *d*) *Ut res non sit commode mendicabilis*, quia secus non est necessitas recurrendi ad pecuniam pro ea; idem dicendum quando per *oblationem liberalem* vel per *laboritium* commode acquiri potest, quia militat eadem ratio; tunc autem dicitur non commode mendicabilis, quando mendicatio fieri nequit nisi cum magna distractione Fratrum vel perturbatione disciplinae vel impedimento executionis officiorum, vel si ob nimis frequentem mendicationem saeculares ad indignationem et contemptum Fratrum moverentur. *e*) Requiritur ut sit *necessitas Fratrum* vel *occasione Fratrum*, puta si hospitibus vel famulis providere debent (1); non vero sufficit necessitas aliena.

204. Ad hanc postremam conditionem nota illam sic intelligendam, ut non liceat

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 5, *Quinta conditio.*

Fratri Minori per recursum ad amicos spirituales *sibi* procurare quasdam res, ut *ipsemet* eas ad personae extraneae utilitatem referat (1). Non autem prohibetur procurare ut homo quidam beneficus emptionem vel solutionem faciat in utilitatem alicujus Ordini nostro extranei, quin ipse Frater aliquid in usum vel dispensationem accipiat; talis enim **procuratio pro exteris** huc non pertinet, cum totum praeceptum hoc respicit provisionem necessitatum *Fratrum*, non aliorum. Ergo Regula non impedit, quominus Fratres adimpleant officia charitatis et pietatis, quae Seraphicus Pater tollere nec voluit nec potuit; hinc licet v. g. pauperibus, aliisque in necessitate constitutis, etiam mediante procuratione pecuniaria subvenire; dummodo Fratres non amplius se intromittant quam requirit officium intercessoris aut rogantis aut consulentis, neque terminos legitimae obedientiae excedant (2).

205. Praedictae quinque conditiones omnino requiruntur ut licite ad amicos spirituales recurri pos-

(1) Cfr. Laselve, Cap. 4, pag. 113.

(2) Cfr. Alb. Bulsano, § 59, n. 5; Bern. Gandavensis, Cap. 4, n. 87 sq. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 274 statuentes: « *Nemo praesumat sine licentia Ministri Provincialis quaerere denarios vel aliquid aliud pro saecularibus, licet sub specie pietatis vel consanguinitatis* ». — Neve inferatur, in hoc praescripto quaesitionem pecuniae pro aliis haberi ut recursum ad amicos spirituales in sensu Regulae; etenim de recursu *Const. Gener.* agunt n. 206, de quaerendis denariis pro saecularibus hoc n. 274, ubi praeterea non tantum ad procurationem *pecuniae* sed *cujuslibet alius rei*, cui denarii hic acquiparantur, licentia Ministri Provincialis requiritur.

sit; ita ut Fratres qui, una ex istis deficiente, sumunt recursum, peccatum contrahant cujus **quantitas** sive *gravis* sive *levis* pendet a materiae *quantitate* et a majori vel minori *dissonantia* respectu necessitatis (1). Decisio autem et determinatio an conditiones requisitae adsint, est penes *Superiores*, quibus S. Legislator hoc judicium committit dicens: « SOLLICITAM CURAM GERANT.... SICUT NECESSITATI VIDERINT EXPEDIRE ».

206. Insuper in omni ad amicos spirituales recursu Fratres semper **caveant**: *a*) ne scienter *plus deponi* permittant quam necessitas exigat; unde si quid superfluxerit ad donantem redeat; *b*) ne *personam praesentent* cui pecunia sit tradenda, nisi constiterit benefactorem Fratribus relinquere sui substituti nominationem, uti saepissime praesumi potest; *c*) ne pecuniam a benefactore ad certum usum determinatam, *alteri* personae, loco vel necessitati *applicent* sine ipsius dantis consensu saltem interpretativo; non tamen tenentur specificare et denominare necessitatem pro qua recurrunt; *d*) tandem in omnibus persuasionem habeant se in ipsam pecuniam *nihil juris habere* (2), et in quantum sinat prudens judicium, hoc etiam externe manifestent (3).

---

(1) Cfr. Bern. Gandavensis, Cap. 4, n. 59.

(2) Cfr. *Exivi*, Art. 7, n. 3.

(3) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 6, *Respondeo* 3-6 et 12.

CAPUT V.

DE MODO LABORANDI.

Textus Regulae. Fratres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris, pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios vel pecuniam; et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

207. **Argumentum.** Postquam Ordini suo omnem pecuniae usum abstulit, providus Legislator S. Franciscus proponit media quibus vitae nenessaria licite procurari possint; itaque in praesenti Capitulo jam agit de *exercitio laboris* et de *perceptione mercedis*. Nullum tamen, ut ex Rom. Pontificum declarationibus (1) eruitur, novum praeceptum in hoc Capite continetur, sed solummodo admonentur Fratres, ut adimplere satagant praeceptum divino-naturale fugiendi otiositatem, et ideo fideliter ac devote laborent de honesto labore sive corporali sive spirituali, caventes semper ne spiritum orationis exstinguant (2). Deinde S. Pater

(1) *Exiit,* Art. 16; *Exivi,* Art. 3.

(2) Quamvis, juxta EE., post declarationes Nicolai III et Clementis V, unanimem contra quosdam antiquiores doctrinam, in Regula nullum detur praeceptum laborandi, semper tamen Fratres prae oculis habeant sese ex praecepto divino-naturali ad laborem adstringi. Imo, praeter obligationem omnibus hominibus communem, Fratres Minores *ob rationes speciales* la-

concedit libertatem in mercedem cujuscumque laboris omnia necessaria recipiendi; ita tamen ut, semper memores eorum quae alibi in Regula (1) praescribuntur, neque in mercedem sui laboris denarios recipiant, neque mercedem velut ex debito exigant, sed eam humiliter tamquam puram eleemosynam acceptent (2).

CAPUT VI.

QUOD NIHIL APPROPRIENT SIBI FRATRES, ET DE ELEEMOSYNA PETENDA, ET DE FRATRIBUS INFIRMIS.

Textus Regulae. Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; et tanquam pere-

---

boribus sibi convenientibus insistere tenentur. Etenim: in professione tacitus fit contractus quo Religio suscipit obligationem sustentandi professum, professus autem se obligat ut Religioni inserviat vires suas laboribus, statui suo sive laicatus, sive clericatus, sive sacerdotii convenientibus, impendendo; praeterea Fratres Minores de eleemosynis vivunt quae ipsis tribuuntur, non solum ut pro benefactoribus orent, sed etiam ut caetera opera statui suo convenientia cum majore facilitate et promptitudine exerceant; haec ergo negligentes, aliorum beneficiis indignos se reddunt (Cfr. Alb. a Bulsano § 67, n. 2 sqq.; Bern. Gandavensis, Cap. 5, § 1, n. 5 sqq.). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 216 sqq.

(1) Regulae Cap. quarto et sexto.

(2) Nihil tamen obstat quin pro laboribus Fratrum, denarii tradantur alicui personae ab ipso dante denominatae, ut in ipsorum Fratrum necessitatibus expendantur; neque Regula violatur quando Syndicus Apostolicus nomine Rom. Pontificis pecuniam recipit, quae pro Fratrum labore, sive corporali sive spirituali, v. g. pro Missis, offertur; modo eam recipiat ut simplicem eleemosynam sine aliquo jure ad illam (Cfr. inferius dicenda, Append. n. 264). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 221.

grini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter; nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, charissimos fratres meos, heredes et reges Regni Coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium: cui dilectissimi Fratres totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. Et ubicumque sunt et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire Fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitate ceciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

208. **Argumentum.** Agit S. Regula in hoc sexto Capite tum de altissima Seraphica paupertate tum de charitate quam, praesertim in infirmitatibus, Fratres sibi invicem praestare tenentur. Promulgantur autem duo gravia praecepta, nempe: 1) praecipitur omnimoda expropriatio etiam in communi; 2) injungitur servitium Fratrum infirmorum. Ulterius, praeter elogium celsitudinis altissimae paupertatis, dantur tres admonitiones, scilicet: *a*) ut Fratres dum eleemosynam petunt, in Deo confidant et non verecundentur; *b*) ut nihil unquam in hac terra habere velint praeter paupertatem, cui totaliter inhaerere debeant; *c*) ut, ubicumque sint, ostendant se domesticos inter se, ita ut sibi invicem necessitates suas secure manifestare possint.

Praeceptum I. — *De expropriatione.*

Quod Fratres nihil sibi approprient. Est praeceptum inhibitorium.

209. Hoc praecepto, quod veluti fundamentum nostri Ordinis constituit et Minoritanam paupertatem a paupertate aliorum Ordinum religiosorum distinguit, injungitur omnimoda et perfecta omnium rerum abdicatio non solum in particulari sed etiam **in communi**; ita ut non solum singuli Fratres nihil proprii possidere possint, sed nec integra Fratrum communitas alicujus rei temporalis dominio vel quodam jure civili possit gaudere, atque Fratres rebus alienis vivere cogantur. Cum vero nostrum votum Seraphicae paupertatis hoc praecepto describatur et determinetur (1), illius expositio jam fusius tradita est, ubi de ipso paupertatis voto agebatur.

Praeceptum II. — *De cura infirmorum.*

Quod si quis Fratrum in infirmitatem ceciderit alii Fratres debeant ei servire. Est aequipollens praeceptis.

210. Non tantum jure divino et naturali, sed etiam hoc **Regulae** praecepto Fratres Minores tenentur suis Fratribus infirmis, ubicumque reperti fuerint, servire et de necessariis providere; quod praeceptum non ad solas infirmitates communes

(1) Cfr. superius dicta, Part. 1, n. 32, n. 44 et n. 60 sqq.

sed ad contagiosas etiam extenditur; dicit enim Regula: « SICUT VELLENT SIBI SERVIRI », sed quilibet vult sibi serviri etiam in morbis contagiosis (1).

211. Non singuli Fratres seorsum, sed Fratrum **communitas** hoc praecepto ligatur. Quare imprimis adstringuntur *Praelati*, qui sub gravi peccato tenentur sollicite suis Fratribus infirmis procurare omnia necessaria, tum *spiritualia*, seu Sacramenta Poenitentiae et SS. Eucharistiae ac debito tempore S. Viatici et Extremae Unctionis (2), tum *temporalia* nimirum: medicum et medicinalia, victum congruum, lectum aptum, servitium conveniens, etc.; quodsi communes eleemosynae liberaliter oblatae desint, pro necessitatibus infirmorum recurrant confidenter ad amicos spirituales sicuti Regula non tantum permittit sed severe praecipit (3). Cum autem omnia praedicta per seipsos Superiores praestare nec debeant nec possint, graviter tenentur providere de Fratribus ad assistentiam et servitium infirmorum specialiter deputatis; iisque institutis, nihilominus Superiores, generatim loquendo, tenentur infirmos visitare ut melius ab eis cognoscant quaenam ipsis necessaria sint, atque an infirmarius officio suo recte fungatur (4).

212. Non solum Superiores, sed etiam ab iis instituti **infirmarii** mortaliter peccare possunt si suo officio notabiliter desint. Hi ergo probe atten-

---

(1) Cfr. Kazenberger, Cap. 6, Qu. 6, *Respondeo.*

(2) Vide *Constitutiones Generales*, n. 304.

(3) Cfr. superius dicta n. 186 et n. 189.

(4) Vide *Constitutiones Generales*, n. 303. — Cfr. Alb. a Bulsano, § 107, n. 1.

dant, tum ut omnia necessaria debito ordine et tempore porrigantur, tum ut aegrotis auxilio sint in iis quae ipsi sibi praestare nequeunt; caveant etiam ne duris, asperis et injuriosis verbis infirmos affligant (1). Quando vero per eos infirmis debite servitur et providetur, non est necesse ut omnes tali curae incumbant, ne maxima detur confusio in rebus necessariis ministrandis; quod si Superiores et ab eis instituti infirmarii negligentes forent, tunc *omnes Fratres* sub mortali peccato tenerentur illorum defectus supplere, infirmis confratribus pro viribus serviendo et de necessariis providendo (2).

CAPUT VII.

DE POENITENTIA FRATRIBUS PECCANTIBUS IMPONENDA.

Textus Regulae. Si qui Fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis de quibus ordi-

(1) Ex alia parte aegroti, quos S. Pater in Regulae Capite decimo admonet: « *habere patientiam in infirmitate* » non facile judicent se neglectos esse nec plus justo exigant, semper memores nostrae paupertatis; etenim sicut pauperes, a parentibus pauperibus more divitum tractari, exigere nequeunt, multo minus hoc a Superioribus exigant pauperes voluntarii. Quare et illi Fratres reprehensionem merentur, qui ad minimas indispositiones aut debilitates pro medicis instant et medicinis, atque illico desistunt ab omni religioso exercitio; pessime autem agunt qui tempore aegritudinis credere videntur se nec ad obedientiae nec ad paupertatis observantiam adstringi (Cfr. Kazenberger, Cap. 6, Qu. 6, *Infertur*).

(2) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 4, § 6, n. 3.

natum fuerit inter Fratres ut recurratur ad solos Ministros provinciales, teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterint sine mora. Ipsi vero Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis poenitentiam. Si vero Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios, Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire; et cavere debent ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicujus: quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem.

213. **Argumentum.** Sicut in Capite praecedenti providebatur de iis qui corporalibus infirmitatibus premuntur, ita in hoc Capitulo S. Pater agit de iis Fratribus qui quoad animam aegrotant. De eis enim hoc in Capitulo exhibetur unicum praeceptum grave, quo scilicet Fratres Minores, in peccatum mortale publicum lapsi, jubentur recurrere ad Ministros provinciales, si ita in Ordine ordinatum fuerit. Praeterea hoc Caput continet duas admonitiones ad Ministros, nimirum: *a*) ut Fratribus peccantibus cum misericordia poenitentiam injungant vel injungi faciant; *b*) ne, in praejudicium charitatis, irascantur nec conturbentur propter alicujus Fratris peccatum.

Praeceptum unicum. — *De peccatis reservatis.*

QUOD PRO ILLIS PECCATIS, DE QUIBUS ORDINATUM FUERIT INTER FRATRES UT RECURRATUR AD SOLOS MINISTROS PROVINCIALES, TENEANTUR AD EOS RECURRERE. Enumeratur inter habentia vim praecepti.

214. Licet Regula de peccatis mortalibus indistincte loqui videatur, tamen hoc S. Patris prae-

ceptum agit solummodo de peccatis **publicis** et notoriis; nam hoc Capitulum, ex Innocentio IV (1), « *ad manifesta tantum, et publica pertinet* »; idem jam expresse declaraverat Gregorius IX (2) dicens: « *respondetur igitur, praedictum Capitulum ad manifesta tantum, et publica pertinere* »; ita et Seraphicus Doctor (3) docet: « *hoc de notoriis tantum peccatis intelligitur, quia quae secreta sunt, non sunt publicanda* », cumque illo concordat communis EE. doctrina. Provide autem S. Legislator talem recursum pro publicis peccatis mandavit, ut scilicet, sicut peccatum publicum plures scandalizavit, sic per publicum ad poenitentiam recursum scandalizatis satisfiat et mitigetur scandalum, ac insuper peccantis Fratris infamia purgetur et aboleatur, cum omnibus per hujusmodi recursum condigne apparere possit contritus et emendatus (4).

215. Hujus restrictionis **rationes** allegantur: *a*) quia vi hujus praecepti Fratres, quando inciderunt in peccatum reservatum, debent *personaliter* ad Ministros recurrere etiamsi in loco remoto morentur; recursus igitur fieri non potest nisi constat Superiori locali Fratrem e conventu recedere; ut autem eum non impediat, saltem in genere constare debet de causa seu peccato, et conse-

(1) Const. *Ordinem vestrum*, 14 Novembris 1245 (*Bull. Franc.* Tom. 1, pag. 400).

(2) Const. *Quo elongati*, 28 Septembris 1230 (*Bull. Franc.* Tom. 1, pag. 68).

(3) S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 7, n. 2.

(4) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 7, n. 4.

quenter publicum sit oportet; alias enim Fratres deberent se graviter infamare, ad quod obligari nequeunt; *b*) juxta Regulam peccatum debet manifestari Ministro etiam *non sacerdoti*, quod de occulto, de quo nulla praecessit suspicio, intelligi non potest; delicti enim occulti revelatio extra forum sacramentalis confessionis generatim praecipi nequit (1).

216. **Quaenam peccata** reservata sint ita ut pro eis ad Ministros sit recurrendum, Regula non determinavit sed Capitulis determinandum reliquit; hoc probatur ex ipsis verbis « PRO ILLIS PECCATIS DE QUIBUS ORDINATUM FUERIT INTER FRATRES UT RECURRATUR etc. »; ergo Fratres *inter se congregati* de hujusmodi reservationibus ordinare debent, quae ordinatio congrue fieri non potest nisi in Capitulo sive generali pro toto Ordine, sive provinciali pro qualibet Provincia (2).

217. Cum vero hodiedum pro **nullo publico** peccato ordinatum sit ut Fratres *personaliter* vadant ad Ministros (3), hoc Regulae praeceptum

(1) Cfr. Ibidem, n. 1.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 7, Text. 1, Tit. 1, Qu. 1, pag. 413.

(3) Per *Ordinis leges* aliqua peccata sive publica sive occulta, quae enumerantur apud *Constitutiones Generales*, n. 316, reservata sunt; ita ut pro eorum absolutione sacramentali obtinenda recurrendum sit ad Ministros, vel ad eos Confessarios quibus Ministri specialem facultatem ab illis peccatis absolvendi concesserunt. Ad hujusmodi autem recursum Fratres non obligantur ex praecepto Regulae sed *ex jure divino et ecclesiastico*, cum quilibet teneatur sese a peccato mortali expedire, et sine tali recursu a suis peccatis absolvi non possit. Explicationem autem casuum in Ordine reservatorum,

quod, ut dictum est, pendet ab ordinatione Capituli, modo non est servandum; si autem de novo stabiliretur et Patribus capitularibus placeret sic ordinare, utique Fratres ex hoc praecepto Regulae sub gravi peccato ad hujusmodi recursum tenerentur (1).

CAPUT VIII.

DE ELECTIONE GENERALIS MINISTRI HUJUS FRATERNITATIS, ET DE CAPITULO PENTECOSTES.

Textus Regulae. Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum et servum totius Fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a Ministris provincialibus et Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a Generali Ministro fuerit constitutum: et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum provincialium et Custodum praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem Fratrum, teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum vero Pentecostes, Ministri et Custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare.

---

quam plures Regulae EE. hoc loco tradere solent, utpote, sicuti patet ex dictis, ad praecepta Regulae nullo modo pertinentem, ad Canonicas Institutiones remittimus.

(1) Cfr. Marchant, Cap. 7, Text. 1, Tit. 2, Qu. 2, p. 444; Kerckhove, *In Reg.* Cap. 7, n. 3.

218. **Argumentum.** In hoc Capitulo S. P. Franciscus, sapientissime Ordini a se instituto imperium seu regimen providens, mandat ut unicum sit Ordinis caput generale et generalia vult haberi Capitula; ideoque tria gravia praecepta promulgat, nimirum: 1) praecipitur omnibus Fratribus semper habere unum e suis ceu Ministrum generalem; cui praecepto additur recordatio obedientiae dicto Generali praestandae; 2) injungitur Ministris provincialibus ut conveniant ad Capitulum a Generali Ministro indictum; 3) iisdem, casu quo Minister generalis non esset aptus muneri suo, imponitur obligatio eligendi alium. Praeterea Ministris provincialibus conceditur libertas convocandi Fratres suos ad Provinciale Capitulum.

Praeceptum I. — *De obligatione habendi Generalem Ministrum.*

Quod Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum. Habet vim praecepti.

219. S. Fundator hoc praecepto statuit ut semper suo instituto, qua caput universale, praesit **unus supremus Pastor et Rector**, habens auctoritatem et jurisdictionem in totum Ordinem et in omnes Fratres (1), quem Ministrum Generalem nominari voluit. Hic, sicuti jam praescribitur ex jure SS. Canonum (2), *de gremio Ordinis* sit

(1) Vide *Constitutiones Generales*, n. 500.

(2) Cap. *Cum causam*, 27; et Cap. *Cum ad nostram*, 37, *De electione etc.*

oportet, in eoque professionem emississe debet, ut patet ex textu Regulae: « UNUM DE FRATRIBUS ISTIUS RELIGIONIS », et ex communi sensu EE. omnium. Quare graviter peccarent ii ad quos spectat, si supremum Moderatorem Ordinis, ubi opus est, constituere negligerent vel qui aliquem extraneum vel novitium in Generalem Ministrum eligere tentarent (1).

220. Praescriptum quod in textu Regulae huic mandato additur: « ET EI TENEANTUR FIRMITER OBEDIRE » inter specialia Regulae praecepta ne adnumeretur (2). Quod enim in primo Capite jam praescribitur: « ALII FRATRES TENEANTUR FRATRI FRANCISCO, ET EJUS SUCCESSORIBUS OBEDIRE », hoc loco repetitur, ac iterum apertius insinuatur quod Generali Ministro, prae caeteris Praelatis, ab omnibus sit obediendum; sed hoc praeceptum jam expresse et eminenter includitur in praecepto formali Capitis decimi: « FIRMITER PRAECIPIO EIS UT OBEDIANT SUIS MINISTRIS IN OMNIBUS QUAE PROMISERUNT DOMINO OBSERVARE », quod praeceptum in idem concurrit ac votum obedientiae (3).

Praeceptum II. — *De Ministri Generalis electione et de Generali Capitulo.*

QUOD PROVINCIALES MINISTRI TENEANTUR SEMPER INSIMUL CONVENIRE IN CAPITULO, UBICUMQUE A GENERALI MINISTRO FUERIT CONSTITUTUM. Notatur inter habentia vim praecepti.

(1) Cfr. Gabr. da Vicenza, Cap. 8, § 1.

(2) Cfr. superius dicta n. 82, Nota: *Plures AA.*

(3) Cfr. dicta supra n. 98, ac inferius dicenda n. 234.

221. Praecipitur sub gravi peccato omnibus et singulis *Ministris provincialibus*, ut conveniant ad celebrandum **Capitulum Generale**, quo nomine vocatur congregatio Religiosorum, ad negotia totius Ordinis pertractanda, legitime instituta (1). Hoc onus eis incumbit quotiescumque Generalis Minister vel ejus vices gerens illos hunc ob finem convocaverit; ut habetur ex ipsa Regula, quae supremo Ordinis rectori facultatem tribuit majorem vel minorem terminum pro Capitulis ordinandi. Postero autem tempore, Apostolica dispositione statutum est, quoties Capitulum Generale in Ordine nostro celebrandum sit (2). In his Generalibus Capitulis, praeter alia ad bonum Ordinis tractanda, casu quo Minister Generalis decesserit, providendum est de illius in generalatu successore; hujus enim **electio**, ut Regula dictat, fieri debet a Ministris provincialibus in Capitulo congregatis (3). Determinatio vero, qua tempus *Pentecostes* pro electione Generali Ministri assignatur, non videtur stricte obligatoria (4).

222. Tenent EE. communius (5) officium generalatus, quantum est ex vi Regulae, esse **perpetuum**; verbum enim « QUO DECEDENTE » ex-

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 139.

(2) Cfr. Pius IX, Decr. *Sanctissimus*, 23 Maji 1862 (Bizzarri, pag. 154). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 412.

(3) Cfr. Marchant, Cap. 8, Text. 2, Tit. unic., Qu. 2, pag. 550.

(4) Cfr. Bern. Gandavensis, Cap. 8, n. 12 sq.

(5) Cfr. Marchant, Cap. 8, Text. 2, Tit. unic., Qu. 1, pag. 549; Alb. a Bulsano, § 140, n. 1; aliique.

plicant: *quo mortuo*, quia decedere, ajunt, est e vita migrari; litteraliter vero praedictum verbum idem est ac: *quo locum cedente*, vel: *quo officium dimittente* etc., quia cessio seu dimissio pluribus modis fieri potest, puta vel morte, vel resignatione, vel depositione etc. Ordinarunt autem Rom. Pontifices ut Generalis Minister non perpetuus sit, sed per determinatum annorum numerum officio fungatur (1).

223. Dubitatur quinam hoc textu Regulae intelligantur per **Custodes** qui una cum Provincialibus Ministris ad electionem Ministri Generalis concurrere debent. Etenim antiquitus « *Custos* » dicebatur qui ob amplitudinem provinciarum certum numerum conventuum regebat; dum hodie hoc nomine vocatur, tum qui praeest parvae provinciae seu Custodiae gubernii, tum qui in proprie dictis Provinciis est Definitorum primus atque eligitur ut, Ministro Provinciali impedito, ad Capitulum Generale pergat (2); imo in ipsa Regula modo Minister Generalis, modo Provinciales, modo ipsi Guardiani « *Custodes* » vocantur (3). Pro praxi vero, ex variis Rom. Pontificum decisionibus eruendum est, quibusnam sit jus et obligatio suffragandi in Generali Capitulo pro electione Ministri Generalis (4).

---

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 7, § 21, n. 1; item cit. Decr. *Sanctissimus*. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 498.

(2) Vide *Constitutiones Generales*, n. 352 et 589 sqq.

(3) Cfr. Marchant, Cap. 8, Text. 4, Tit. unic., Qu. 2, pag. 554.

(4) Cfr. Kazenberger, Cap. 8, Qu. 1, *Respondeo* 2. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 394 sqq.

Praeceptum III. — *De Ministri Generalis depositione.*

QUOD SI ALIQUO TEMPORE APPARERET UNIVERSITATI MINISTRORUM PROVINCIALIUM ET CUSTODUM, PRAEDICTUM MINISTRUM NON ESSE SUFFICIENTEM, TENEANTUR ALIUM SIBI ELIGERE. Denotat vim praecepti.

224. Iisdem Ministris et Custodibus, quibus electio Generalis Ministri commissa est, S. Franciscus etiam sub gravi injungit ut, casu quo praedictus Minister ad Fratres regendos et bonum Ordinis promovendum sit ineptus, eum **deponant** aliumque in ejus locum substituant. Quae depositio fieri debet vel in Generali Capitulo, vel potius recurrendo ad Rom. Pontificem ut ipsemet Generalem deponat atque ad ejusdem successoris electionem licentiam concedat (1). Ut autem haec obligatio Provincialibus et Custodibus incumbat, requiritur ut, ex argumentis certis et manifestis, de insufficientia Ministri Generalis constet eorum « UNIVERSITATI », i. e. secundum communem doctrinam (2), eorumdum parti numerosiori.

225. **Insufficientia** Ministri Generalis ad munus suum provenire potest: *a*) ex parte *corporis*, si ob senectutem vel ob frequentes infirmitates vel quamcumque impotentiam, negotia sibi incumbentia expedire non possit; *b*) ex parte *animae*,

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 141, n. 1 sq.
(2) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 741, R. 3°.

si debilitatae sint animae facultates, vel si sit Regulae transgressor, aut criminosus et scandalosus, aut in officio suo notabiliter negligens (1).

CAPUT IX.

DE PRAEDICATORIBUS.

Textus Regulae. Fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi cum ab eo illis fuerit contradictum; et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium sibi praedicationis concessum. Moneo quoque et exhortor eosdem Fratres ut in praedicatione quam faciunt sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

226. **Argumentum.** S. Franciscus, intelligens Dominum Minores elegisse et misisse propter profectum et salutem animarum, Fratres suos ad praedicandum mittere voluit, et in toto hoc nono Capite de munere praedicandi agit. Duo itaque praecepta gravia pro praedicatoribus proposuit; inhibet enim Fratribus praedicare: 1) contradicente Episcopo; et 2) sine approbatione Ministri generalis. Ulterius Fratres admonentur ut in praedicationibus populum aedificent casto, examinato et conciso eloquio, annuntiando quae ad vitam bene instituendam pertinent.

(1) Cfr. Ibidem, R. 1° et 2°.

Praeceptum I. — *De non praedicando, contradicente Episcopo.*

QUOD FRATRES NON PRAEDICENT IN EPISCOPATU ALICUJUS EPISCOPI CUM AB EO ILLIS FUERIT CONTRADICTUM. Aequipollet praeceptis.

227. **Objectum** hujus prohibitionis est praedicatio, seu publica divini verbi annuntiatio, quae fit quando Episcopus dioecesanus expresse contradicit, uti patet ex declaratione Nicolai III (1) dicentis: « *quod praedictum verbum ad litteram, sicut Regula ipsa protulit, observetur* ». Ergo ex vi Regulae non requiritur ut Fratres ab Episcopo licentiam praedicandi obtinuerint, imo neque ut illam petierint; sed tunc solum graviter peccant contra hoc praeceptum, si praedicant postquam Ordinarius illos praedicare *prohibuit*. Ita EE. omnes.

228. De **jure** vero **communi** (2) cautum est ut Regulares ad praedicandum in ecclesiis *suorum Ordinum* ab Episcopo benedictionem petere teneantur, et quamvis illam non obtinuerint, modo Episcopus non contradixerit, possunt licite praedicare (3), idque verum est etiamsi eorum ecclesia sit parochialis (4); ut vero praedicent in ec-

---

(1) *Exiit*, Art. 17, n. 1.

(2) Conc. Trid. Sess. 5, *De Reformatione*, Cap. 2.

(3) Clemens X, Const. *Superna*, 21 Junii 1670, § 3 (*Bull. Rom.* Tom. 6, pag. 305).

(4) S. Congr. Ep. et Reg. 13 Maji 1678 (Cfr. Piat. Montensis, Tom. 2, Qu. 301).

clesiis alienis, seu quae suorum Ordinum non sunt, requiritur ut Episcopi *licentiam obtinuerint*. Concedunt tamen AA. (1) praedicationem sine venia Episcopi, in alienis ecclesiis ubi transeunter essent, Regularibus licere duabus aut tribus vicibus de licentia Parochi.

229. Secundum juris principia (2) Regulares cum licentia Superiorum *personaliter*, nisi magna difficultas excuset, se coram Episcopo praesentare tenentur ad benedictionem petendam. Quod autem ad **praxim** attinet, jam solent Episcopi per *litteras* concedere licentiam praedicandi etiam in alienis ecclesiis; imo rarius jam solent Regulares formalem petere benedictionem et licentiam ad praedicandum, quia Episcopi, concedendo jurisdictionem, plerumque simul praedicationem aliaque sacra ministeria, approbatis sacerdotibus in universum permittunt (3).

Praeceptum II. — *De approbatione Ministri Generalis ad praedicandum requisita.*

QUOD NULLUS AUDEAT PENITUS POPULO PRAEDICARE, NISI A GENERALI MINISTRO.... FUERIT EXAMINATUS, APPROBATUS, ET AD HOC INSTITUTUS. Enumeratur inter praeceptis aequipollentia.

230. Vi hujus praecepti sub gravi peccato Fratribus **prohibetur** omnis praedicatio ad populum habenda, antequam a Ministro Generali fue-

(1) Cfr. S. Alphonsus, Lib. 1, *De privilegiis*, n. 125.
(2) Conc. Trid. l. c.
(3) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 515.

rint examinati, et approbati, et licentia illis ab eo fuerit concessa; cui Regulae praecepto concordat praescriptum Tridentinum (1), statuens Regulares cujuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus examinati et approbati fuerint, atque ab iis licentiam obtinuerint, praedicare non posse.

231. Dicitur in textu: « NULLUS... POPULO PENITUS AUDEAT PRAEDICARE »; ubi vox « **penitus** » *omnem modum* excludit, ita ut non approbato neque in ecclesia, neque in altari, neque in foro praedicare liceat. **Populi** autem nomen hic omnes homines *extra Ordinem nostrum* constitutos complectitur; quare approbatio non requiritur ad praedicandum coram solis confratribus (2).

232. Ex vi Regulae, *solus Minister Generalis* potest praedicatores approbare; ampliato autem Fratrum numero, approbatio et institutio praedicatorum a Nicolao III (3) commissa est Provinciali Ministro cum Definitoribus congregatis in **Capitulis provincialibus,** sub quibus etiam comprehenduntur *Congregationes intermediae* (4). Illis autem quibus admissio Fratrum ad praedicationem est commissa, incumbit eos examinare, non tantum quoad scientiam sed quoad alias etiam circumstantias, scilicet morum, prudentiae et aliarum conditionum expedientium ad praedicationis mu-

---

(1) Conc. Trid. l. c.

(2) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 9, n. 9; item Mocchegiani, Tom. 3, n. 774 sqq.

(3) *Exiit,* Art. 17, n. 2.

(4) Vide *Constitutiones Generales,* n. 638.

nus (1); quale examen institui potest etiam *per alios*, sufficit enim ut idoneitas sufficienter cognoscatur; quare et illis de quorum sufficientia jam abunde constat, examen non est necessarium (2).

CAPUT X.

DE ADMONITIONE ET CORRECTIONE FRATRUM.

Textus Regulae. Fratres qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum visitent et moneant Fratres suos, et humiliter et charitative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid quod sit contra animam suam et Regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis ut obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae et Regulae nostrae. Et ubicumque sunt Fratres qui scirent et cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero charitative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Nam ita debet esse quod Ministri sint servi omnium Fratrum. Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus saeculi, detractione, et murmuratione; et non curent nescientes litteras, litteras discere; sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde, et habere humilitatem, patientiam

(1) Cfr. Hier. a Politio, Cap 9, n. 11.
(2) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 9, n. 10.

in persecutione et infirmitate, et diligere eos qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Coelorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

233. **Argumentum.** Sermo habetur in hoc Capitulo, tum de relationibus Superiorum et subditorum, seu de cura quam Superiores subditis impendere ac de obedientia quam subditi Superioribus debent rependere; tum de singulorum spirituali perfectione, per fugam vitiorum ac virtutum exercitium consequenda. Duo autem gravia praecepta traduntur: 1) omnibus Fratribus praecipitur obedire cunctis suis Superioribus; 2) illis qui scirent se non posse Regulam observare, injungitur ut recurrant ad suos Ministros. Deinde S. Pater plures exhibet admonitiones scilicet: *Ministros* adhortatur, ut adimpleant quod eis juxta jus divinum et ecclesiasticum ex ipso Praelaturae officio incumbit ideoque: *a*) ut Fratres visitent, paterne moneant, charitative corrigant, ac nihil eis contra animam vel Regulam praecipiant; *b*) ut benigne recipiant Fratres ad ipsos pro Regulae observantia recurrentes; *subditos* vero monet *c*) ut, dum aliquid eis praecipitur, sibi in memoriam revocent suam professionem in qua, ex amore Dei, abnegaverunt proprias voluntates; *d*) *Laicis* autem, cum non ad studium sed ad Fratrum servitium destinentur, suadet ne litteras et scientias addiscere curent; tandem *omnes* Fratres suos admonet: *e*) ut

super omnia desiderent habere verum spiritum devotionis, orationem assidue frequentantes (1); *f*) ut caveant a vitiis superbiae et avaritiae humilitati et paupertati Fratrum Minorum omnino contrariis, atque ab invidia, detractione et murmuratione contra charitatem; *g*) ut virtutes colant praesertim humilitatem, patientiam tum in infirmitate (2) tum in persecutione, ac amorem inimicorum; ultimo *h*) exhortatur eos ad perseverantiam in bono.

Praeceptum I. — *De obedientia.*

QUOD FRATRES OBEDIANT SUIS MINISTRIS IN OMNIBUS QUAE PROMISERUNT DOMINO OBSERVARE. Est praeceptum formale.

234. Seraphicus Pater Franciscus, dum in Regulae Capite primo declaravit Regulam et vitam Fratrum Minorum esse: « DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SANCTUM EVANGELIUM OBSERVARE, VIVENDO IN OBEDIENTIA » etc., in praesenti Capitulo Fratribus suis factam hanc professionem in mentem revocat, ac eis firmum imponit praeceptum

(1) Ad hanc admonitionem plures EE. annotant, nullum dari praeceptum Regulae injungens orationem mentalem. Recte tamen notat Kerckhove (*In Stat. Gener.* Cap. 2, § 4, n. 3): quia Religiosi omnes ex vi suae professionis tenentur sub gravi obligatione tendere ad perfectionem, oratio autem mentalis sit praecipuum instrumentum et moraliter necessarium ad hanc perfectionem consequendam, patet quod ad hanc orationem non raro obligentur Religiosi et vel maxime Franciscani, Regulam difficillimam profitentes.

(2) Cfr. dicta superius n. 212, Nota: *Ex alia.*

obediendi suis Ministris, i. e. cunctis suis Superioribus quocumque nomine vocentur. Hoc praeceptum tamen **non distinguitur** ab ipso *voto* sed cum eo coincidit; quare illius expositio una cum expositione voti obedientiae tradita est (1).

Praeceptum II. — *De recursu ad Ministros pro Regulae observantia.*

QUOD FRATRES QUI COGNOSCERENT SE NON POSSE REGULAM SPIRITUALITER OBSERVARE, DEBEANT ET POSSINT AD SUOS MINISTROS RECURRERE. Est aequipollens praeceptis.

235. Fratribus ex hoc praescripto non tantum permittitur, ita ut a nemine valeant impediri, sed severe **praecipitur** ut, quando scirent per experimentum et cognoscerent per rectum judicium se non posse *spiritualiter*, i. e. debite, sine transgressionis peccato aut manifesto peccandi periculo, Regulam observare, ad suos Ministros, sive personaliter, sive per nuntios aut litteras, recurrant (2).

236. Per **Ministros** in hoc praecepto, sicut in toto isto Capitulo, ex communi EE. intelliguntur *omnes* Superiores. Praestat tamen ut ordo in recursu servetur, quare ubi Guardiani mederi possunt gravamini, sufficit ad hos recurrere, eisque statum rerum candide aperire; si autem spes non affulget ut per Superiores locales ea removeantur quae transgressionibus ansam praebent,

(1) Cfr. dicta supra, Part. 1, Cap. 2, *De voto obedientiae.*

(2) Cfr. Marchant, Cap. 10, Text. 3, Tit. unic., Qu. 3, pag. 610. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 675.

ad Ministros provinciales Fratres recurrere tenentur (1).

237. Ut hujus praecepti obligatio Fratri Minori incumbat requiritur: *a*) ut Frater, non ex vano timore aut phantastica imaginatione sed ex *solidis argumentis*, judicet se in loco in quo moratur *notabiliter* impediri a *debita* Regulae observantia; ita ut sine gravi peccato, vel illius manifesto periculo, ibi permanere non possit. Qui ergo *leviter* tantum a Regulae observantia impeditur, ad Superiores recurrere non tenetur, quia cautius procedendo transgressiones Regulae et difficultates fugere potest; neque hoc praecepto ligatur qui solum judicat se in alio loco cum *majore* puritate et perfectione *supererogatoria* Regulam observaturum esse. *b*) Requiritur ut regularis observantiae impedimentum ex causa *exteriori*, seu ex loci vel conventus circumstantiis aut personis inibi habitantibus oriatur; puta si in loco sit prava societas mulierum vel familiaritas quae sit incentivum peccandi, vel frequens mora cum viro saeculari periculum afferens, vel mala societas Fratrum ad peccandum pellicentium etc.; nam si ex sola *Fratris* culpa evenit ut gravium transgressionum periculis subjiciatur, potest sine recursu ad Ministros seipsum emendare, occasiones et pericula fugere, sibi vim inferre et salutaria remedia adhibere; secus enim nec ipsa loci mutatio eum meliorem reddet (2).

(1) Cfr. Marchant, Ibidem, Qu. 2, pag. 609.

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 178, n. 1; Marchant, Cap. 10, Text. 3, Tit. unic., Qu. 1, pag. 607; aliique.

CAPUT XI.

QUOD FRATRES NON INGREDIANTUR MONASTERIA MONACHARUM.

Textus Regulae. Praecipio firmiter Fratribus universis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, et ne ingrediantur monasteria Monacharum, praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur.

238. **Argumentum.** Veluti antea firmissime praecepit quae ad altissimam paupertatem et perfectam obedientiam attinent, ita in hoc Capite S. P. Franciscus pro sanctae castitatis observantia proponit firma praecepta, ac Filios suos ad castitatem fulgentissimam adstringere volens, quae non tantum maculas vitat sed etiam maculae umbram(1), jam omne suspectum consortium generatim prohibet, et speciatim intercludit sinistras suspiciones quae ex ingressu in monasteria Monialium atque ex cognatione spirituali oriuntur. Unde tria numerantur gravia praecepta, scilicet: 1) ne Fratres habeant suspecta consortia mulierum; 2) ne ingrediantur monasteria Monacharum; neve 3) fiant compatres. Haec tria praecepta imponuntur sub unica clausula; « PRAECIPIO FIRMITER », eisdemque simul S. Pater rationem addit, nempe: « NE HAC OCCASIONE INTER FRATRES VEL DE FRATRIBUS SCANDALUM ORIATUR ».

(1) Cfr. dicta superius, Part. 1, n. 81.

Praeceptum I. — *De suspectis consortiis mulierum.*

QUOD FRATRES NON HABEANT SUSPECTA CONSORTIA VEL CONSILIA MULIERUM. Est praeceptum formale.

239. Dissentiunt EE (1) num hoc praecepto etiam prohibeantur mulierum consortia et consilia, i. e. conversationes, negotiorum tractationes, etc., quae jam sunt peccaminosa *in se* vel quae *periculum proximum* impudicitiae praebent. Videntur tamen haec omnia, cum jam ex jure divino et ex natura voti castitatis interdicta sint, hic repeti non debere; quare statuendum speciale **objectum** hujus prohibitionis esse illa mulierum (2) consortia et consilia, quae etsi mala non sint neque immunditiae incentivum praebeant, nihilominus *fundatum motivum* pandunt ad suspicionem impudicitiae vel scandalum generandum. Imo communius tenent EE. contra nonnullos (3), prohiberi consortia mulierum omnia quae *nata sunt ex se* scandalum parere, quamvis a nemine videantur et per consequens nemini *reapse* scan-

---

(1) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 11, n. 3.

(2) Quamvis S. Pater suspecta cum mulieribus tantum consortia prohibuerit, si tamen finem legis et spiritum spectemus qui ad scandala praecavenda dirigitur, Fratres etiam incauta cum personis ejusdem sexus consortia cum omni sollicitudine vitare tenentur (Cfr. Alb. a Bulsano, § 185 n. 5). — Vide *Constitutiones Generales*, n. 676.

(3) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 292.

dalum praebere possint; cui doctrinae forsan opponi potest, verbum « SUSPECTA » relationem dicere ad alios, quod non verificatur quando consortia a nemine percipi possunt. Advertatur vero, quae occulta creduntur non semper ignota manere.

240. **Quaenam** suspecta sint consortia ex quibus alii rationabiliter scandalum haurire poterunt, ex pluribus conditionibus, utpote ex genere actus, seu ex circumstantiis personarum, loci, temporis etc. spectandum est. Itaque Regulae EE. passim, duce potissimum D. Bonaventura (1), docent illud consortium vel consilium mulierum merito suspicionem generare, quod reddunt suspectum: *a*) *locus*, utpote si cum intentione quaeratur locus vel obscurus vel a consortio hominum remotus; *b*) *tempus*, ut si studiose eligatur tempus nocturnum, seu diurnum quidem ast tale quo reliqui impediti sunt; *c*) *modus*, seu si quis absque manifesta, pia seu rationabili causa versetur solus cum sola, maxime si conversationes sint solitarie nimis prolungatae; *d*) *gestus* aut *actus*, uti si manus sint junctae, aspectus fixi, verba dissoluta, joci nimis familiares, vel ad invicem nimia appropinquitas; *e*) *aetas* et *conditio*, utpote si femina sit juvenis, formosa, vana, amans vel amari desiderans; ac multo magis si sit malae famae, aut in vestitu immodesta, aut in loquendo et jocando incauta etc.: talem enim sine gravi causa visitare jam suspectum est et scandalosum; item si ipse Frater juvenilis aetatis sit, magnam

(1) Cfr. S. Bonaventura, *In Reg.* Cap. 11, n. 2.

animi levitatem probet, religiosam in agendo et loquendo modestiam observare non soleat; *f*) *frequentia* colloquiorum cum eadem persona sine ratione evidenti frequentationis, praesertim si studeantur occultari vel si absque Superioris licentia aut, quod pessimum foret, contra ipsius monitum iterentur (1); imo continuatio alicujus familiaritatis post Praelati admonitionem, pluries sufficiens videtur ad suspicionem fundandam. Advertendum autem, quaedam uno tempore et uno modo facta suspicionem generare, quae alio tempore etsi eodem modo, vel alio modo etsi eodem tempore, suspicionem non ingererent; unde candido judicio pro variis circumstantiis talia libranda sunt (2).

241. Praeterea communiter admittunt AA. (3), consortium vel consilium suspectum non solum inter praesentes sed etiam inter absentes haberi posse. Suspicio enim ingeri potest ob scribendi modos diversos, aut diversarum rerum per internuntios traditionem vel denuntiationem; utpote si litterae mittantur, tenero et blandienti modo conceptae; vel si salutationes, aliaeque amicitiae contestationes nimis frequentes, nuntiorum ope transmittantur.

242. Itaque praedictis circumstantiis occurrentibus ex toto vel ex parte, juxta rationem

(1) Vide *Constitutiones Generales*, n. 677.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 11, Text. 1, Tit. 1, Qu. 2, pag. 623; Hier. a Politio, Cap. 11, n. 4.

(3) Cfr. Marchant et Hier. a Politio, ll. cc.; Gabr. da Vicenza, Cap. 11, § 1; aliique.

suspicionis majoris vel minoris quae ex similibus nasci potest, **peccatum** *mortale* vel *veniale* incurritur. Ut autem hoc praeceptum omnibus numeris observetur, advertant Fratres ut in quibuscumque cum femineo sexu conversationibus, cum omni honestate et modestia procedant, nunquam teneros affectus prodentes sed sanctam erga se reverentiam semper inspirantes (1).

Praeceptum II. — *De non ingrediendo monasteria Monacharum.*

QUOD FRATRES NON INGREDIANTUR MONASTERIA MONACHARUM. Est praeceptum formale.

243. Ut cautelam adhibeat a periculis et sinistris suspicionibus quae Fratribus ex incautis cum Monialibus consortiis imminere possunt, S. Pater per hoc Regulae praeceptum severe **prohibet** in *Monacharum* quarumlibet *monasteria* omnem *ingressum*, illis tantum exceptis, qui a *Sede Apostolica* obtinuerunt licentiam *specialem*. Quae singula verba ad rectum hujus praecepti intellectum expendenda sunt.

244. A. Primis Ordinis Seraphici temporibus disputabatur utrum nomine **Monacharum**, in hoc Regulae textu, intelligerentur solummodo Pauperes Sorores S. Clarae, an etiam aliorum Ordinum quorumcumque Moniales; variae enim hac de re decisiones a Rom. Pontificibus emanaverant (2). Du-

(1) Cfr. Alb. a Bulsano, § 185, n. 3.

(2) Cfr. imprimis Gregorii IX Const. *Quo elongati*, 28 Septembris 1230 (*Bull. Franc.* Tom. 1, pag. 68) et Innocentii IV Const. *Ordinem vestrum*, 14 Novembris 1245 (Ibidem, pag. 400).

bium autem resolvit Nicolaus III (1) declarando: « *nos itaque generaliter id esse prohibitum de quarumlibet coenobiis Monialium respondemus* ». Hanc vero declarationem EE. unanimiter explicant de solis Monialibus *stricte dictis*, quae scilicet vota solemnia nuncuparunt; non autem de iis quae vota tantum simplicia habent. Hujus restrictionis ratio petitur tum e stylo Curiae, in quo nomine Monacharum seu Monialium intelliguntur mulieres quae *solemniter* vitam regularem ab Ecclesia approbatam professae sunt, tum e sensu quem hoc verbum habebat tempore S. Francisci, siquidem omnes feminae religiosae tunc non alio modo profitebantur ac solemniter; proinde, cum odiosa sint restringenda, communis semper et constans persuasio et consuetudo Fratribus Minoribus licitum declarabat ingressum in coenobiis feminarum, quae solemnibus votis non adstringuntur (2).

245. B. Nomine **monasterii** quod ingredi prohibetur, intelligitur domus in qua Moniales regulariter vivunt; et quidem, juxta declarationem Nicolai III (3), ejusdem *septa* seu spatium illud in quo continentur cellulae, dormitoria, claustra, coenaculum, officinae interiores, item horti cum conventu conjuncti, oratorium internum et alia loca in quibus Moniales ordinarie commorari et versari solent et ad quae saecularibus non

(1) *Exiit*, Art. 20, n. 2.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 11, Text. 2, Tit. 1, Qu. 3, pag. 631; Alb. a Bulsano, § 186, n. 1.

(3) *Exiit*, l. c.

permittitur ingressus. Ad alia autem monasteriorum loca, ubi homines saeculares conveniunt, etiam Fratres Minores accedere possunt (1).

246. C. **Ingressus** in Monacharum monasteria a Regula prohibitus, est realis introgressus intra coenobium, seu interiores illius partes reapse intrare. *Accessus* vero ad Moniales, quo nomine in jure intelligitur aditus ad portam vel cratem seu ingressus in locutorium etc., Moniales visitandi et alloquendi causa, juxta communissimam et solidam doctrinam (2), ex vi Regulae nullo modo prohibetur (3); quia nullum est verbum quod hoc indicat, et ipse Nicolaus III (4) patenter ingressum ab accessu distinguit.

247. Concluditur ergo graviter peccare contra hoc Regulae praeceptum, Fratrem qui revera *ingreditur* intra *septa* alicujus monasterii

---

(1) Cfr. Marchant, Ibidem, Qu. 2, pag. 629.

(2) Cfr. Marchant, Cap. 11, Text. 2, Tit. 1, Qu. 1, pag. 625 et Tit. 2, Qu. 1, *Conclusio* 2, pag. 639; Alb. a Bulsano, § 186, n. 3; aliique plurimi; contradicit Hier. a Politio, Cap. 11, n. 14 sqq.

(3) Ecclesiasticis quidem decretis accessus ad Moniales, sine debita licentia, summo rigore speciatim Regularibus interdicitur (cfr. Bouix, *De Jure Regularium,* Tom. 2, Part. 6, Sect. 5, Cap. 8, § 4; Mocchegiani, Tom. 1, n. 430 sqq.); haec tamen prohibitio, cum non sit universaliter recepta, in pluribus regionibus non est in usu, sicut jam testabatur Marchant (Cap. 11, Text. 2, Tit. 2, Qu. 1, *Conclusio* 3, pag. 641) dicens: hactenus ad locutorium, crates et loca exteriora tam S. Clarae quam caeterarum Monialium, quicumque docti et timorati accedunt nulla licentia petita Episcoporum et Superiorum (Cfr. etiam Kerckhove, *In Stat. Gen.* Cap. 5, § 8, n. 20 sqq.)

(4) *Exiit,* l. c.

Monialium *stricte* dictarum, *cujuscumque* Ordinis sint. Postquam autem a jure canonico (1) sancitum est, ut in omnibus monasteriis Monialium cum votis solemnibus **clausura** apostolica institueretur, atque in praesenti Ecclesiae disciplina, a tempore praesertim Concilii Tridentini, Sancta Sedes non indulget quod in communitatibus mulierum *solemnia* vota emittantur nisi eae sub inviolata clausura perpetuo vivant (2), imo sub poena excommunicationis Rom. Pontifici reservatae, cuique interdicitur ingressus intra Monialium clausuram (3), hoc Regulae praecepto Fratribus Minoribus modo nihil inhibetur quod de jure communi non est prohibitum.

248. D. Attamen, etiam in jure novissimo, *licentia* ingrediendi alia requiritur pro Minoribus, alia pro caeteris fidelibus; Regula enim requirit licentiam a **Sede Apostolica** obtentam; ergo Fratres non possunt ingredi Monialium coenobia, etiamsi Episcopus vel Monialium Praelatus regularis concedant licentiam ingrediendi, sicut saecularibus vel aliis Religiosis interdum concedere solent (4). Nota tamen licentiam a Sede Apostolica nobis concessam, nimirum: *Leo X concessit Fratribus Minoribus ut, quando a Superioribus ecclesiarum, aut a Praelatis religiosis*

(1) Cap. *Periculoso, De statu regularium* in 6.

(2) S. Congr. Ep. et Reg. 24 Septembris 1816 (Bizzarri, pag. 411).

(3) Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*, 12 Octobris 1869, § 2, n. 6.

(4) Cfr. Kazenberger, Cap. 11, Qu. 2, *Respondeo* 1, *Ex quo*.

rel Visitatoribus habentibus curam aliquorum monasteriorum Monialium rogati fuerint, possint eorum monasteria visitare, vel aliud jurisdictionis munus exercere, vel cum ipsis Praelatis intrare, non obstante prohibitione suae Regulae, dummodo si subditi sint de suorum Praelatorum licentia hoc faciant. Ista concessio, quam docent AA. (1) non esse revocatam, non est relaxatio Regulae sed illi conformis est; ipsa enim Regula ingressum licitum declarat quando adest Sedis Apostolicae licentia qualis hic conceditur.

249. E. Regula insuper requirit Apostolicae Sedis licentiam **specialem**; quapropter si Papa facultatem faceret omnibus Christifidelibus vel cunctis Regularibus ingrediendi aliquod monasterium Monialium, *non expressis Fratribus Minoribus*, hac licentia Fratres uti non possent. Non autem requiritur licentia specialis alicui Fratri in particulari data, sed sufficit licentia specialis concessa sive toti *Ordini*, sive Fratribus alicujus regionis vel *Provinciae* (2).

250. Dantur tamen **causae** ex quibus ingressus in Monialium monasteria etiam Fratribus Minoribus licitus sit; quae causae ad duo capita revocari possunt, nimirum: *a) vera necessitas*, v. g. ad incendium extinguendum, latrones vel hostes expellendos, phreneticam continendam, infirmae succurrendum per obsequium necessarium, et alias hujus generis necessarias praestandas

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 5, § 8, n. 30; item Kazenberger (Ed. noviss.), l. c. *Nota* 5.

(2) Cfr. Hier. a Politio, Cap. 11, n. 11.

operas, quas ipsae Moniales perficere nequeunt et quarum ratione viri saeculares ex Pontificiis dispositionibus ingredi possunt (1); *b*) *spiritualis utilitas*, qua comprehenduntur tum visitatio canonica, tum infirmis quae ad cratem venire non valent Sacramentorum administratio etiam devotionis causa, tum agonizantium assistentia etc. Attendant autem Fratres, ut in explendis hujusmodi officiis observent ea quae a jure hac de re praescripta sunt (2).

Praeceptum III. — *De prohibita compaternitate.*

QUOD NON FIANT COMPATRES VIRORUM VEL MULIERUM. Est Regulae praeceptum formale.

251. Compaternitas, quae in Sacramentis tum baptismi tum confirmationis contrahitur, duplici ter distingui oportet; altera ex parte *suscipientis* prolem in sacro baptismatis fonte vel in Sacramento confirmationis, altera ex parte ipsius prolem *baptizantis* vel *confirmantis* (3). Regula autem, compaternitatem sub gravi peccato prohibendo, illam solum vetat quae priori modo contrahitur, a. v. hoc Regulae praecepto prohibetur ne Fratres Minores in Sacramentis baptismi vel con-

---

(1) Cfr. Marchant, Cap. 11, Text. 2, Tit. 1, Qu. 5, pag. 636.

(2) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 5, § 8, n. 29 sqq. et n. 41 sqq.; item Mocchegiani, Tom. 1, Lib. 4, Cap. 3, § 2 et Cap. 16. — Vide *Constitutiones Generales*, n. 693 et n. 697 sqq.

(3) Cfr. Conc. Trid. Sess. 24, Cap. 2.

firmationis munere **patrini** fungantur; ita EE. fere omnes (1).

252. Jam vero **non arbitrarie** hoc praeceptum ita limitatur; nam administratio horum Sacramentorum *actu transeunte* perficitur, ac postea nullum consortium cum baptizato vel confirmato aut cum ejusdem parentibus requirit; patrini vero officium in se sumunt curam de susceptis habendi et defectus parentum supplendi, et hac ratione saepesaepius frequentiores *conversationes* et mutuae quaedam *familiaritates* patrini cum susceptis eorumque genitoribus, nec non cum matrina insurgunt, qua occasione haud raro de Fratribus scandalum oriri posset (2). Praeterea confirmatur haec doctrina ex universali praxi qua Fratres ubique, ex parochorum commissione, etiam extra quamcumque necessitatem, sine ullo scrupulo solemniter baptizant.

253. Cum vero compaternitas ex susceptione prolis oriunda, **cunctis Regularibus** constanter ex jure (3) prohibeatur, hoc Regulae praecepto S. Franciscus novam obligationem non inducit, sed SS. Canonum antiquam legem suis praeceptis adnumeravit.

CAPUT XII.

DE EUNTIBUS INTER SARACENOS ET ALIOS INFIDELES.

Textus Regulae. Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles,

(1) Cfr. Piat. Montensis, Tom. 1, Qu. 294, 2°.

(2) Cfr. Alb. a Bulsano, § 187.

(3) Cap. *Non licet* 103, Dist. 4, *De consecratione.*

petant inde licentiam a suis Ministris provincialibus; Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad haec per obedientiam injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis; ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

254. **Argumentum.** Omnibus, quae ad Regulam et vitam minorum Fratrum pertinent, sapientissime ordinatis, in hoc ultimo Capite S. Franciscus, vir catholicus et totus apostolicus, loquitur de fide inter infideles propaganda et de fide in Ordine ipso conservanda. Quapropter unico hujus Capituli gravi praecepto injungitur Ministris, ut petant a Papa aliquem Cardinalem ceu Ordinis protectorem. Praeterea Fratribus conceditur libertas eundi ad missiones inter Saracenos et alios infideles; simulque adduntur duae admonitiones, nimirum: *a*) ad eos qui divinam inspirationem sequi desiderant ut, memores sui obedientiae voti, ad missiones non pergant nisi de licentia sui provincialis Ministri; *b*) ad Ministros ut hanc licentiam non tribuant, nisi eis quos invenerint idoneos. Tandem S. Legislator, perseverantiam in Evangelica professione rursus inculcando, Regulam Fratrum Minorum concludit.

Praeceptum unicum. — *De Cardinali Protectore.*

Quod Ministri petant unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit guberna-

TOR, PROTECTOR ET CORRECTOR ISTIUS FRATERNITATIS. Est praeceptum formale.

255. Hoc ultimo Regulae praecepto Seraphicus Pater Franciscus, qui juxta plures primus institutionem Protectoris pro toto Ordine in Ecclesia intulit (1), « PER OBEDIENTIAM », ergo sub gravi peccato injungit Ministris, ut petant a Rom. Pontifice unum de S. R. E. Cardinalibus ceu totius Ordinis Protectorem. Hujus praecepti **impletio incumbit** imprimis *Ministro Generali*, et si hic aliquem petit, sive in speciali sive in generali, jam satisfactum est praecepto Regulae, etiamsi Papa noluerit ejus precibus annuere. Deficiente vero Generali Ministro huic officio, ad illud sub mortali tenentur *Provinciales Ministri*, quia praeceptum ex vi verborum concernit Ministros omnes (2).

256. Cardinalis iste primitus veram et quidem amplissimam habebat **jurisdictionem**, atque ad eum tamquam ad Superiorem et Judicem poterant singuli Fratres appellare; siquidem qui gubernator, protector, et corrector totius Ordinis constituitur, pro vero hujus Ordinis Praelato, imo et primario procul dubio habendus est. Ast, ejusdem facultates decursu temporis, per varias Rom. Pontificum Constitutiones, declaratae ac limitatae sunt ac tandem Innocentius XII (3), non solum quoad Ordinem Minoriticum sed et quoad

---

(1) Cfr. Mocchegiani, Tom. 3, n. 74.

(2) Cfr. Kazenberger, Cap. 12, Qu. 2, *Respondeo.*

(3) Const. *Christi fidelium*, 17 Februarii 1694 (*Bull. Rom.* Tom. 7, pag. 198). — Cfr. etiam litterae Secretarii Status, 9 Maji 1715 (Bizzarri, pag. 302).

omnes generatim Regularium Ordines, rem totam determinavit, omnemque *ordinariam* jurisdictionem Cardinali Protectori eripuit (1).

257. Itaque Cardinalis Protector non est jam Ordinis proprie Superior, ejusque potestatem Sedes Apostolica ad merum Ordinis sibi commendati patrocinium et extrinsecam assistentiam reduxit. *Jurisdictio* autem proprie dicta ei competit solum in casu fere chimerico, si nempe causa *totum Ordinem* concerneret (2), puta si totus Ordo vel Capitulum Generale, recederet vel ab obedientia Papae per *schisma*, vel a fide per *haeresim*, vel ab observantia regulari per *relaxationem;* quae potestas ita restricta semper innititur menti S. P. N. Francisci (3), qui semper unum de S. R. E. Cardinalibus in protectorem sui Ordinis optabat ut scilicet, ex verba Epilogi suae Regulae: « SEMPER SUBDITI ET SUBJECTI PEDIBUS EJUSDEM SANCTAE ECCLESIAE (contra schisma), STABILES IN FIDE CATHOLICA (contra haeresim), PAUPERTATEM ET HUMILITATEM ET SANCTUM EVANGELIUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (contra relaxationes), QUOD FIRMITER PROMISIMUS, OBSERVEMUS ».

(1) Cfr. Bouix, *De Jure Regularium*, Tom. 2, Part. 5, Sect. 2, Cap. 4, Qu. 3.

(2) Cfr. Ibidem, Qu. 5, 16°.

(3) Cfr. Kazenberger, Cap. 12, Qu. 2, *Notandum*.

APPENDIX.

DE SYNDICO APOSTOLICO.

258. Prius in memoriam revocetur Fratres Minores, tam in communi quam in particulari, cujusvis dominii vel juris in qualemcumque rem temporalem **incapaces** esse; eosque nullo modo, ne in mercedem quidem laboris sive corporalis sive spiritualis, denarios vel pecuniam recipere posse(1).

259. Quapropter, **dominium** caeteraque jura civilia omnium rerum quae Fratribus conceduntur, manent apud *dantes* si ipsi ea sibi reservaverunt; si vero benefactores res concessas perfecte concedunt et a se abdicant, quod semper fecisse supponuntur dummodo aliter non exprimant, item si donantes moriuntur, praedictarum rerum dominium transit in dominium *Ecclesiae Romanae*. Etenim Summi Pontifices (2) in se et sanctam Ecclesiam

(1) Cfr. superius dicta, Part. 1, n. 44 sq. et Part. 2, n. 176 sqq.

(2) Cfr. *Exiit,* Art. 4, n. 1 sqq.; *Exivi,* Art. 8, n. 1; item Martini IV, Bulla: *Exultantes in Domino,* 18 Januarii 1283 (*Bull. Franc.* Tom. 3, pag. 501).

susceperunt dominium omnium rerum, sive mobilium sive immobilium, quae, dominio a dante sibi non reservato, Fratribus dantur vel ad proprium usum, vel ut per personas idoneas vendantur et in res magis utiles et necessarias convertantur; ac speciatim susceperunt Pontifices dominium eleemosynarum *pecuniariarum* quae quocumque licito modo pro Fratrum necessitatibus elargiuntur.

260. Ut autem de rebus praedictis etiam in foro civili cura habeatur(1), et praedictae pecuniae juxta intentionem dantium et modo congruo in Fratrum necessitates et utilitates expendantur, Pontifices tamquam earum domini, constituere decreverunt pro quibuslibet Fratrum Minorum conventibus substitutos, qui **Syndici Apostolici** vocati sunt, eisque circa dictas res et pecunias varias concesserunt facultates. Unde nomine Syndici Apostolici in Ordine nostro intelligitur: persona quae, nomine et auctoritate S. Sedis, gerit negotia civilia circa res temporales, ac praecipue recipit eleemosynas pecuniarias, easque administrat Fratrum necessitatibus providendo.

261. **Institutio** procuratoris seu Syndici Apostolici, ex Constitutione Nicolai III (2) fieri debebat

---

(1) Administratio *ministerialis-naturalis* rerum quarum usum Fratribus licet habere, modo absque interventu pecuniae vel civili contractu fieri possit, a Rom. Pontificibus commissa est non Syndicis Apostolicis sed ipsis Ordinis Praelatis (Cfr. dicta supra, Part. 1, n. 68).

(2) *Exiit*, Art. 12, n. 2.

ab ipso *Rom. Pontifice* vel a *Cardinali Protectore*, qui toties quoties opus fuit, per seipsos vel per Episcopos (1), qua talem instituebant personam a Fratribus nominatam et praesentatam. Cum autem Fratribus valde difficile esset Romam recurrere, neque minus grave Episcopos semper pro Syndicorum institutione adire, Martinus IV (2) ipsius *Ordinis Praelatis*, nempe Generali Ministro in toto Ordine ac Provincialibus Ministris et Custodibus in suis Provinciis et Custodiis, commisit facultatem Syndicos Apostolicos nominandi seu instituendi, eosque quoties opportunum fuerit revocandi ac alios eis subrogandi (3).

262. Ex variis Rom. Pontificum decretis, varia munera et officia Syndicis Apostolicis commissa sunt. Quasdam scilicet facultates concesserunt Nicolaus III et Clemens V, et Syndicus tali potestate praeditus vocatur **Syndicus communis** utpote semper communiter in toto Ordine receptus; illi autem opponitur **Syndicus Martinianus** ut vocatur, qui insuper potitur facultatibus a Martino IV, Martino V, et Paulo IV concessis.

263. A. **Syndicus communis**, ex concessione Nicolai III (4) quam et Clemens V (5) confirmavit,

(1) Cfr. Litterae Card. Matthaei Sanctae Mariae, Ordinis Protectoris, 28 Aprilis 1280 (relatae apud Marchant, *Relectio theol. etc.* Sect. 2, pag. 24), quibus Episcopis Germaniae concessit potestatem ordinandi et constituendi Syndicos a Ministris Provincialibus nominandos, quotiescumque eis videbatur expedire.

(2) Bulla cit. *Exultantes in Domino.*

(3) Vide *Constitutiones Generales*, n. 212.

(4) *Exiit*, Art. 12, n. 2.

(5) *Exivi*, Art. 17.

potest nomine Papae et Romanae Ecclesiae: *a*) *alienare, vendere, distrahere* etc. libros caeterasque res mobiles quarum dominium in se suscepit Ecclesia, quando res hujusmodi desinunt Fratribus necessariae vel utiles esse; *b*) *pretium seu pecunias* ex venditione rerum praedictarum profluentes recipere, illasque expendere in rem licitam cujus usum Fratribus licet habere.

264. B. **Syndicus Martinianus** ex concessione Martini IV (1), Martini V (2), et Pauli IV (3) potest: *a*) *recipere* et in Fratrum utilitates *convertere*, prout eis licet ex Regula vel ex declaratione Regulae, omnes res mobiles et immobiles necnon omnes pecuniarias eleemosynas, sive testamento legatas, sive liberaliter oblatas, sive pro laboribus vel pro Missis et aliis divinis Officiis datas etc.; *b*) praedicta omnia *in judicio contentioso* vel *extra judicium* petere, exigere, transigere, defendere etc.; nec non pro immunitatibus, libertatibus, privilegiis etc. Fratrum agere, secluso tamen omni concursu, cooperatione vel assistentia Fratrum et remoto scandalo (4).

265. De his Syndici Apostolici muneribus notandum est: I. Quamvis Syndico con-

---

(1) Bulla cit. *Exultantes in Domino.*

(2) *Constitutiones et Declarationes super Regulam* (*Constitutiones Martinianae* dictae), § *Quoad 4. Cap.* (Waddingus, Ad annum 1430, n. 12).

(3) Bulla: *Ex clementi Sedis,* 1 Julii 1555 (*Bull. Rom.* Tom. 1, p. 816).

(4) Vide *Constitutiones Generales,* n. 260.

cessum sit recipere nomine Papae *omnes* res et pecunias, quovis titulo Fratribus oblatas, illius facultas tamen restringitur juxta modos Regulae nostrae congruos. Proinde, sicut Rom. Pontifices in suum et Ecclesiae dominium non recipiunt res et pecunias quae Fratribus Minoribus offeruntur ad superfluitates, curiositates, et pretiositates, ita nec Syndici habent auctoritatem recipiendi pecunias ad **divitias et thesaurizationem** Regulae Seraphicae repugnantes; sed illas recipere possunt solummodo ad Fratrum *necessitates*, quae tamen necessitates intelligendae sunt accommodae, et non solum proprii conventus sed et in genere Provinciae vel etiam Ordinis (1).

266. Notetur II. Quoad **alienationem bonorum** a Syndico faciendam advertatur ad legem canonicam (2), sub poena excommunicationis (3) omnino observandam, qua prohibetur alienare bona ecclesiastica immobilia et mobilia pretiosa (4), nisi accedat *licentia Sedis Apostolicae*. Hac tamen lege non comprehenduntur, ideoque absque licentia papali alienari possunt, res quae Fratribus conceduntur vel legantur, atque ab iis accipiuntur, non ut iis utantur

---

(1) Cfr. Kerckhove, *In Stat. Gener.* Cap. 3, § 3, n. 4; *Comment. in Const. Gener.* apud *Acta Ord.* Tom. 23 (1904), pag. 381.

(2) Extrav. Cap. *Ambitiosae* unic. *De rebus Ecclesiae* etc. inter communes.

(3) Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*, 12 Octobris 1869, § 4, n. 3.

(4) Cfr. Vermeersch, Tom. 1, n. 436 sq.

sed ut a Syndico vendi earumque pretium in res licitas et utiles converti queant (1); talia enim nondum monasterio incorporata sunt et alienantur, ut ajunt, *ex necessitate juris* (2). Illa vero immobilia et mobilia pretiosa quibus Fratres jamjam utebantur, si pro temporum vel locorum circumstantiis a Syndico vendenda vel quocumque alio modo alienanda sint, id fieri nequit nisi impetrato beneplacito apostolico (3).

267. Notetur III. **Repetitio juridica** bonorum a Syndico institui non potest si bona vindicanda nondum in dominium Papae et Ecclesiae *re vera transierint*. Quapropter: *a*) Syndicus non potest in judicio exigere *stipendia* pro Missis, divinis Officiis etc., vel alias res Fratribus in *mercedem laboris* concedendas, quia haec omnia remanent in dominio dantium donec Syndico vel hujus substituto reapse tradita sint, sine ullo jure ex parte Fratrum; *b*) casu vero quo talia *vi testamenti* Fratribus legata sunt, a Syndico possunt juridice exigi, quia morte testatoris jam in Ecclesiae dominium devolvuntur et Papa mandat illa per Syndicos requiri, ne defunctorum piae intentiones defraudentur (4); contra *c*) annuae praestationes e *legatis perpetuis* Fratribus tradendae, cum Papa eas, utpote statui Fratrum Minorum

---

(1) Cfr. *Exiit*, Art. 11, n. 2.

(2) Cfr. Ferraris, Verb. *Alienatio*, Art. 3, n. 5 sq.

(3) Vide *Constitutiones Generales*, n. 257.

(4) Cfr. Marchant, *In Reg.* Cap. 5, Text. 4, Qu. 1, *Primum dubium*, pag. 350.

repugnantes (1), in suum dominium non recipiat, a Syndico Apostolico coram judice peti nequeunt (2).

268. Notetur IV. Antiquitus variae Minoriticae familiae privilegiis a Martino IV, Martino V, et Paulo IV Syndico Apostolico concessis renuntiarunt. Post unionem vero Ordinis Seraphici anno 1897 feliciter restauratam, Syndicus **in universo Ordine** nostro gaudet omnibus et singulis juribus et praerogativis, pro diversitate casuum ipsi concessis a Nicolao III, Martino IV, Clemente V, Martino V, et Paulo IV (3).

269. Syndici Apostolici usus **non est dispensatio** in Regula, prout expressis verbis declaravit Innocentius XI (4) dicens: « *quod non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus a Rom. Pontificibus.... provisus pro puriori illius observatione, sive ejusmodi Syndici assumantur ad praescriptum Constitutionum Nicolai III et Clementis V..... sive secundum dispositionem Constitutionum fel. mem. Martini IV et Martini V ac Pauli IV..... prout illorum usus.... fuerit receptus* ». Syndicus enim non est interposita persona

---

(1) Cfr. dicta superius, Part. 1, n. 64.

(2) Cfr. Kazenberger, Cap. 4, Qu. 3, *Infertur* 3. — Vide *Constitutiones Generales,* n. 282, quo *sub poenà excommunicationis ipso facto incurrenda* Fratribus prohibetur per se sive per Syndicos, coram judice, annuas praestationes ab haeredibus petere.

(3) Vide *Constitutiones Generales,* n. 209.

(4) Bulla: *Sollicitudo* (*Bull. Rom.* Tom. 11, pag. 272).

Fratrum a Regula prohibita, quia nec auctoritate Fratrum constituitur, nec ullam actionem nomine Fratrum exercet, sed instituitur auctoritate *Rom. Pontificis*, ejusque nomine et auctoritate agit, quidquid agit (1).

270. A. Non obstat Syndicum, ex concessione Martini IV (2), a Generali vel Provincialibus Ministris nominari et deponi posse (3); denominatio enim et electio Syndici, prout procedit ab Ordinis Praelatis, non est proprie dicta institutio quae tribuit Syndico auctoritatem, sed est mera *declaratio* auctoritatem Papae in talem personam sic nominatam derivari, cum Pontifex Syndicum creet eum, qui ad hoc a Ministris fuerit electus.

271. B. Neque obstat Syndicos Apostolicos eleemosynas expendere debere sicut et quando a *Ministris*, vel a Fratribus de assensu eorum, *fuerint requisiti* (4); hoc enim Regulae non contrariatur, cum illa requisitio non sit per modum mandati vel ordinationis sed per modum humilis supplicationis et instructionis (5). Verum quidem est Syndicum *obligari* eleemosynas expendere juxta petitionem Fratrum; sed hoc oritur ex eo, quod Papa tamquam dominus eleemosynarum mandat suis substitutis, scilicet Syndicis, ut faciant sicut Superiores Ordinis requirunt. Hoc autem provida ex ratione Rom. Pontifex ordinavit, ut nimirum

(1) Cfr. Marchant, *Relectio theol. etc.* Sect. 3, Qu. 1, pag. 67.
(2) Bulla cit. *Exultantes in Domino.*
(3) Cfr. dicta superius n. 261.
(4) Bulla cit. *Ex clementi Sedis.*
(5) Vide *Constitutiones Generales*, n. 215.

Syndici, qui nec Regulam nostram nec Fratrum necessitates tam exacte cognoscunt, suis dispositionibus statum nostrum paupertatis et Regulam non commaculent. Praefata ergo Apostolica provisio puritati Regulae non modo non derogat, sed potius ei consulit (1).

272. Intuitu laborum quos continuo in Fratrum beneficium sustinent, Syndici Apostolici conventuum Fratrum Minorum legitime instituti, pluribus favoribus et privilegiis a S. Sede ditati sunt; ex quibus, nostris temporibus, practice hoc unum est in vigore ut, ex concessione Clementis VII (2), Syndicus cum illius uxore et liberis gaudeant omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis, quibus gaudent ipsi Fratres Minores.

(1) Cfr. Marchant, *Relectio theol. etc.* Sect. 3, Qu. 2, pag. 75.

(2) Const. *Dum consideramus*, 16 Aprilis 1526 (*Bull. Rom.* Tom. 1, pag. 672). — Cfr. Mocchegiani, Tom. 3, n. 1063.

LAUS DEO ET MARIAE.

INDEX SYNOPTICUS.

N.B. Inserti sunt in ipsis lineis numeri marginales.

Prolegomena . . . . . *pag.* 1

Status religiosus, 1. — Perfectio religiosa, 2. — Laesio obligationis tendendi ad perfectionem, 3. — Scientia Regulae, 4. — Quaenam Regula observari debeat, 5. — Regula observanda in sua puritate, 6. — An professio ad alia obliget praeter Regulam, 7. — An tota Regula sub peccato obliget, 8. — Dantur vera praecepta in Regula, 9.

Pars prior. De votis religiosis in Ordine Fratrum Minorum.

Caput I. De votis generatim sumptis 8

Votum definitur, 10. — Vota religiosa, 11. — An detur votum speciale servandi Regulam, 12. — Vota religiosa emitti debent juxta Regulam, 13. — Obligant sub gravi, 14. — Decretum: *Neminem latet,* 15. — Vota simplicia, 16. — Votorum solemnitas, 17. — In quonam differant simplicia vota et solemnia, 18. — Professio aequiparatur baptismo vel martyrio, 19. — Voti ac virtutis distinctio, 20.

CAPUT II. DE VOTO OBEDIENTIAE . . . . *pag.* 15
Votum obedientiae in Regula describitur, 21. — Vi voti obediendum est solis et omnibus Praelatis, 22. — Idque in iis quae sunt secundum Regulam; quid de actibus internis, 23. — An Minores teneantur vi voti in omnibus obedire, 24. — Praecepta et leges, 25. — Quandonam obediendum sub mortali, 26. — Quandonam sub veniali; quid de contemptu, 27. — Quandonam sub poena tantum, 28. — Imperfectio quid sit, 28 *Nota*. — Quid in dubio de liceitate rei praeceptae, 29. — Votum obedientiae simplex et solemne, 30. — Obedientiae votum ac virtus, 31.
CAPUT III. DE VOTO PAUPERTATIS 22
Votum paupertatis in Regula describitur, 32.
I. De voto religiosae paupertatis in genere. 23
Religiosae paupertatis votum generatim, 33. — Votum paupertatis simplex, 34. — Dispositio bonorum ante vota simplicia, 35 sq. — Votum paupertatis solemne, 37. — Renuntiatio bonorum ante vota solemnia, 38 sq. — Peculiaris effectus solemnis voti paupertatis, 40. — Voti paupertatis materia, 41 sq. — Definiuntur varia jura quoad res temporales, 42 *Nota*. — Paupertatis votum ac virtus, 43.
II. De voto paupertatis in Ordine Seraphico 29
Minores Fratres nec in communi possidere possunt, 44. — Dominium rerum quibus Fratres utuntur, 45.
III. De obligationibus nostri voti paupertatis 31
Variae obligationes enumerantur, 46.
A. De usu independenti. 32
Usus independens quid sit, 47. — Quadruplex distinguitur licentia, 48. — Quaenam licentia sufficiat, 49. — Quid de rebus cum praesumpta licentia acceptis, 50. — Cavenda relaxatio, 51. — Quinam peccent usu independenti, 52. — Casus in quibus peccatum non habetur, 53. — Quid de administratione bonorum alienorum, 53 *Nota*. — Res minoris momenti, 54.

B. De usu immoderato . . . . . *pag.* 38
Duplex usus secernitur, 55. — Usus arctus, 56. — Usus moderatus: quid sit superfluum, pretiosum, curiosum, 57. — Quaedam Minoribus speciatim vetita, 58. — Judicium de usu moderato, 59. — Quid de aedificiis etc. sumptuosis si jam accepta sint, 59 *Nota*.
C. De expropriatione in communi. 41
Quo sensu Minores ad mendicitatem teneantur, 60. — Prohibentur redditus annui, 61. — Non licet acceptare hereditates, 62. — Possunt acceptari legata, 63. — Quid de legatis perpetuis, 64. — Quo sensu vetetur quempiam inducere ad legata nobis facienda, 64 *Nota*. — Non possunt Fratres assistere curiis, 65. — Prohibentur contractus civiles, 66. — Vetatur administratio ministerialis civilis, 67. — Quid de commutatione ministeriali civili, 67 *Nota*. — Licita est administratio ministerialis naturalis, 68.
IV. De gravitate peccati contra paupertatem 48
Varia malitia distinguitur, 69. — Peccatum injustitiae, 70. — Peccatum usus immoderati, 71. — Peccatum proprietatis, 72 sqq. — Praedicta intelliguntur de usu perfecto, 75. — Quandonam leves culpae coalescant, 76.
Caput IV. De voto castitatis 53
Votum castitatis in Regula annotatur, 77. — Hujus voti obligationes, 78. — Objectum castitatis virtutis ac voti, 79. — Peculiaris effectus solemnis voti castitatis, 80. — Votum castitatis in Ordine Seraphico, 81.

Pars posterior. De praeceptis Regulae Ordinis Fratrum Minorum.

Caput praevium. De Regulae praeceptis in universum 56
An in Regula dentur gravia praecepta: quotnam, 82. — Praecepta distinguuntur, 83. — Enume-

rantur praecepta, 84 sqq. — Praeceptorum dispensatio, 88 sq. — Species peccati in praeceptorum transgressione, 90.

CAPUT I. IN NOMINE DOMINI INCIPIT VITA MINORUM FRATRUM. . . . . *pag.* 62

Argumentum hujus Capitis, 91.

Corollarium. De obedientia erga Rom. Pontificem et Ordinis Ministrum generalem 63

An detur Regulae praeceptum obediendi Ecclesiae, 92. — An potius speciale votum, 93. — Videtur solos Generales Ministros obligare, 94. — Quid in praxi observandum, 95. — Obedientia et reverentia quid importent, 96. — Quale peccatum committant hujus praescripti transgressores; quid h. l. intelligatur nomine Ecclesiae, 97. — Praescriptum obediendi S. Francisco ejusque successoribus, 98.

CAPUT II. DE IIS QUI VOLUNT VITAM ISTAM ACCIPERE ET QUALITER RECIPI DEBEANT 66

Argumentum hujus Capitis, 99. — De vestimentorum repetiatione, 99 *Nota*.

Praeceptum I. De iis quae spectant ad modum receptionis, ad professionem et ad formam habitus 68

Diversae partes hujus praecepti, 100. — Praescriptum mittendi candidatos ad Ministros, 101. — Conditiones in recipiendis requisitae, 102. — Cunctis quae possident valedicant, 103. — Quandonam hoc faciendum sit, 103 *Nota*. — Fratres ne solliciti sint de bonis novitiorum, 104. — Annus novitiatus, 105. — Professio in articulo mortis, 105 *Nota*. — Professi gestent habitum cum caputio, 106.

Praeceptum II. De recessu ab Ordine 75

Non licet de Ordine exire; neque transeundo ad alium Ordinem, 107. — Quid de transitu ad Cartusianos, 108.

Praeceptum III. De vestimentis 76

Fratrum vestiarium describitur, 109. — Vestimentorum materia, forma et color, 110. — Duplex

praeceptum, 111. — Praeceptum negativum, 112. — Quaenam necessitas excuset, 113. — An liceat habere duos habitus quin simul gestentur, 114. — Praeceptum positivum, 115. — Habitu se spoliare, 116. — Habitus dimissio, 117.

Praeceptum IV. De calceamentis . . . . . *pag.* 82

Praecepti objectum, 118. — Quaenam prohibeantur sub mortali, 119. — Quaenam sub veniali, 120. — Quaenam sint licita, 121. — Tempus requisitum ut transgressio sit mortalis, 122. — Quaenam necessitas excuset, 123.

Praeceptum V. De vestimentorum vilitate 84

Extensio hujus praecepti, 124. — Judicium de vilitate, 125. — Mundities semper prosequenda, 125 *Nota*.

Caput III. De divino Officio, et Jejunio, et quomodo Fratres debeant ire per mundum . 85

Argumentum hujus Capitis, 126.

Praeceptum I. De divino Officio 87

Certa norma orandi praescribitur, 127. — Clerici solemniter professi saltem privatim Officium recitent, 128. — An etiam ad chorum adstringantur, 129. — Professi votorum simplicium, 130. — Quaenam complectatur obligatio dicendi Officium, 131. — Quaenam materia constituat grave peccatum, 132. — Tempus quo Officium recitari debet, 133. — Anticipatio Matutini et Laudum, 134. — Modus dicendi Officium, 135. — Orationes Laicorum; an obligent sub gravi, 136. — Quaenam omissio sit mortalis, 137. — Tempus et modus dicendi istas orationes; Laici simpliciter professi, 138. — Obligatio orandi pro defunctis, 139.

Praeceptum II. De jejunio 96

Quandonam jejunandum, 140. — An obligentur sexagenarii, 141. — Quid de juvenibus, 142. — Lex de jejunio duo in se continet, 143. — Unica refectio, 144. — Abstinentia a cibis vetitis, 145. — Jejunia e solo praecepto Ecclesiae observanda,

146. — Jejunium Paschale, 147 sq. — Jejunium ante Nativitatem Domini, 149. — Jejunium in sextis Feriis, 150. — Quid si in aliqua sexta Feria dispensetur in abstinentia, 151 sqq. — Ova et lacticinia in Feriis sextis, 154. — Qualitas ciborum in collatione, 155 sq. — Quid de illis qui a lege jejunii eximuntur, 157. — Quantitas requisita ut mortaliter peccetur, 158. — Quaenam necessitas a jejunio regulari excuset, 159.

Praeceptum III. De prohibitione equitandi . . . *pag.* 106

Explanatur praeceptum, 160. — Sub gravi vetatur equo vehi, 161. — Quid de aliis jumentis, 162. — Usus rhedarum, 163 sqq. — Vectio in navi; usus vaporiferi etc., 166. — Causae excusantes, 167. — Levitas materiae, 168.

Caput IV. Quod Fratres non recipiant pecuniam. 111

Argumentum hujus Capitis, 169.

Praeceptum I. De interdicto pecuniae 111

Objectum hujus praecepti, 170. — Quaenam intelligantur nomine denariorum seu pecuniae, 171. — Quid de schedulis mensae argentariae, 172. — Enumerantur quaedam quae non sunt pecunia, 173. — Quid sit recipere per se; quid per interpositam personam, 174. — Quaenam prohibita sint circa pecuniae receptionem, 175. — De dominio pecuniae, 176. — Praecipui actus quae jus ad pecuniam in se includunt, 176 *Nota*. — Non prohibetur contrectatio naturalis, 177. — Vetatur contrectatio politica, 178. — Prohibita quaedam ob politicam contrectationem, 179. — An liceat extra Ordinem donare alias res praeter pecuniam, 179 *Nota*. — Quaestio de transportatione pecuniae, 180 sqq. — Quaenam materia sit gravis, 184. — Abstinendum ab omni attactu pecuniae, 185. — De missionibus quae sine pecuniae usu consistere nequeunt, 185 *Nota*.

Praeceptum II. De recursu ad amicos spirituales . . . 124

Explanatur praeceptum, 186. — Quatuor modi quibus Fratribus provideri potest, 187. — Duplex

praeceptum, 188. — Praeceptum affirmatium, 189. — Praeceptum negativum, 190. — Quis dicatur amicus spiritualis: distinguitur a benefactore, ab interposita persona, a Syndico, 191. — In quonam essentialiter consistat recursus ad amicos spirituales, 192. — Casus quibus recursus habetur, 193. — Casus quibus recursus non habetur, 194. — Variae eleemosynarum species, 195. — Quid de eleemosynis ad Fratrum preces concessis, 196. — Quid si sponte offerantur, 197. — De eleemosynis indifferentibus, 198. — Deducuntur quaedam pro praxi, 199 sqq. — Quid de eleemosynis apud Syndicum depositis, 202. — An pro recursu ad Syndicum requirantur eaedem conditiones ac pro recursu ad amicos spirituales, 202 *Nota*. — Conditiones requisitae ut licite recurratur ad amicos spirituales, 203. — De procuratione pecuniae pro exteris, 204. — Quandonam habeatur grave peccatum, 205. — Cautiones in recursu observandae, 206.

CAPUT V. DE MODO LABORANDI . . . . . *pag.* 139

Argumentum hujus Capitis, 207. — De obligatione laborandi, 207 *Nota: Quamvis*. — De eleemosynis intuitu laboris oblatis, 207 *Nota: Nihil*.

CAPUT VI. QUOD NIHIL APPROPRIENT SIBI FRATRES, ET DE ELEEMOSYNA PETENDA, ET DE FRATRIBUS INFIRMIS 140

Argumentum hujus Capitis, 208.

Praeceptum I. De expropriatione 142

Hoc praeceptum importat abdicationem bonorum etiam in communi, 209.

Praeceptum II. De cura infirmorum 142

Cura infirmorum a Regula praecipitur; etiam in morbis contagiosis, 210. — Hoc praecepto ligatur communitas, 211. — De Fratribus infirmariis, 212. — De ipsis infirmis, 212 *Nota*.

CAPUT VII. DE POENITENTIA FRATRIBUS PECCANTIBUS IMPONENDA 144

Argumentum hujus Capitis, 213.

Praeceptum unicum. De peccatis reservatis 145
Agitur de solis peccatis publicis, 214. — Hujus restrictionis rationes, 215. — Quinam possint reservare peccata, 216. — Hodiedum hoc praeceptum non est servandum, 217. — De peccatis ex Constitutionibus Generalibus reservatis, 217 *Nota*.
Caput VIII. De electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis et de Capitulo Pentecostes. . . . . *pag.* 148
Argumentum hujus Capitis, 218.
Praeceptum I. De obligatione habendi Generalem Ministrum 149
Unicus sit supremus Ordinis Rector, 219. — De obedientia ei praestanda, 220.
Praeceptum II. De Ministri Generalis electione et de Generali Capitulo 150
Ministri Provinciales conveniant ad Generale Capitulum; ibique eligant Generalem Ministrum, 221. — An officium generalatus sit perpetuum, 222. — Quinam intelligantur nomine Custodum, 223.
Praeceptum III. De Ministri Generalis depositione . . 153
Minister Generalis insufficiens deponatur, 224. — Quandonam censeatur insufficiens, 225.
Caput IX. De Praedicatoribus. 154
Argumentum hujus Capitis, 226.
Praeceptum I. De non praedicando contradicente Episcopo 155
Hujus praecepti objectum, 227. — Quid jure communi statuatur, 228. — Notandum pro praxi, 229.
Praeceptum II. De approbatione Ministri Generalis ad praedicandum requisita. 156
Quid vi hujus praecepti prohibeatur, 230. — Quid intelligatur voce penitus; quid nomine populi, 231. — Approbatio etc. praedicatorum committitur Capitulis Provincialibus, 232.
Caput X. De admonitione et correctione Fratrum 158
Argumentum hujus Capitis, 233. — De oratione mentali, 233 *Nota*.
Praeceptum I. De obedientia 160

Hoc praeceptum coincidit cum voto obedientiae, 234.
Praeceptum II. De recursu ad Ministros pro Regulae observantia . . . . . *pag.* 161
Explanatur praeceptum, 235. — Quinam in isto Capitulo veniant nomine Ministrorum, 236. — Quandonam hujus praecepti obligatio Fratribus incumbat, 237.
CAPUT XI. QUOD FRATRES NON INGREDIANTUR MONASTERIA MONACHARUM 163
Argumentum hujus Capitis, 238.
Praeceptum I. De suspectis consortiis mulierum . . . 164
Hujus praecepti speciale objectum, 239. — De incautis cum eodem sexu consortiis, 239 *Nota*. — Quaenam consortia censeantur suspecta, 240. — An suspectum possit esse consortium inter absentes, 241. — Gravitas peccati, 242.
Praeceptum II. De non ingrediendo monasteria Monacharum 167
Quidnam hoc praecepto prohibeatur, 243. — Monachae quae sint, 244. — Quid intelligatur nomine monasterii, 245. — Quid sibi velit ingressus, 246. — De accessu ad Moniales, 246 *Nota*. — Jus commune de clausura Monialium, 247. — De requisita licentia Apostolica; concessio Leonis X, 248. — Requiritur licentia specialis, 249. — Causae excusantes ingressum, 250.
Praeceptum III. De prohibita compaternitate 172
Compaternitas duplex distinguitur, 251. — Limitationis ratio, 252. — Cunctis Regularibus prohibetur compaternitas, 253.
CAPUT XII. DE EUNTIBUS INTER SARACENOS ET ALIOS INFIDELES. 173
Argumentum hujus Capitis, 254.
Praeceptum unicum. De Cardinali Protectore 174
Quinam hoc praecepto ligentur, 255. — De Cardinalis Protectoris potestate, 256 sq.

Appendix.

DE SYNDICO APOSTOLICO 177

Fratrum Minorum incapacitas cujusvis juris ad res temporales, 258. — De dominio eorum quae Fratribus conceduntur, 259. — Syndicus Apostolicus definitur, 260. — Quinam possint instituere Syndicos, 261. — Syndici dupliciter distinguuntur, 262. — Munera Syndici communis, 263. — Munera Syndici Martiniani, 264. — Syndici ne recipiant res Regulae repugnantes, 265. — De alienatione bonorum, 266. — Quaenam possit Syndicus repetere in judicio, 267. — Universus Ordo utitur Syndico Martiniano, 268. — Usus Syndici non est dispensatio, 269. — Non obstat Syndicos ab Ordinis Superioribus nominari, 270. — Neque obstat eos pecuniam expendere juxta petitionem Fratrum, 271. — Favores a Sede Apostolica Syndicis concessi, 272.

293.3012
T 825

AUTHOR

Trienekens, Isidorus, pater

TITLE

Vota et praecepta

DATE DUE | BORROWER'S NAME

293.3012
T 825